




3

METHODVS FA-

CILIMA AD EXPLICATIO-

NEM SACROSANCTÆ APO-

calypseos Ioannis Theologi, ex ipso
libro desumpta.



AVTHORE N. COLLADONE BITV-

*rige, sacrarum literarum Professore in Schola
Lausannensi.*

Editio secunda, quam emendatiorem magnâque accessione locupleta-
tam & illustratam reperiet lector. Quid præterea ha-
beat hæc editio, sequens pagina
indicat.

2. Thessal. 2. vers. 5.

Annon MEMINISTIS me, cùm adhuc essem apud vos, hæc dixisse vobis? Nunc
verò quid obstet NOSTIS, ut is suo tempore retegatur, &c.



M O R G I I S.

Excudebat Ioannes le Preux, Illustrissimorum Dominorum
Bernensium Typographus.

MDCCXXXIII.

Addidimus in fine libri doctum poema Adriani Cardinalis, quod inscribitur venatio: vbi videbis ipsissimam frugalitatem, & parsimoniam, perpetuamque de rebus sacris sollicitudinem Coryphæorum Ecclesiæ Romanæ.

BERNARDVS ANTICHRISTVM NON
EXPECTAT EX TRIBV DAN, QVIA
iam reperit in clero Romano.

Raritas sanctitatis, & nostra planè ætas inops virorum, &c. & vt suspicor Ego, aut præstò aut propè est, de quo scriptum est, Facilem eius præcedat egestas. Nihil fallor, Antichristus est iste, quem fames ac sterilitas totius boni, & præit & comitatur. Siue igitur nuncia iam præsentis, siue iam iamq; affuturi prænuncia egestas in euidenti est. Taceo vulgus, taceo vilem filiorum huius mundi multitudinem: in ipsas Ecclesiæ columnas volo oculos leues. Quem mihi ostendas vel de illorum numero qui videntur dati in lucem Gentium, non magis de sublimi fumantem, quàm flamman-tem, &c. Nisi tu illos fortè lucere dixeris, qui quæstum æstimant pietatem: qui in hæreditate Domini, non quæ Domini, sed magis quæ sua sunt quæritant, &c. Ô deformitatem! Itane summus meritò reputandus erit, qui à summo corruens gradu hærebit vix infimo, ne è abyssò absorbeat? quàm rarus tamen iste in clero? quem item das mihi contentu mnecessariis, contemptorem super Aurorum? Lex est tamen præfixa ab Apostolis, Apostolorum successoribus: victum & vestitum habentes, inquit, his contenti simus. Vbi forma hæc? in libris cernimus eam sed non viris, &c. Optimus hodie est qui non est nimis malus.





MAGNIFICIS AC PRAE-
CLARIS VIRIS INCLYTÆ BER-

nensium Reip. Consulibus & Senatoribus, Dominis suis
obseruandis Nicolaus Collado veram, ac per-
petuam salutem à Domino
precatur.



CCE ad vos iterū reuertor, Magnifici Do-
mini, seriùs quidem quàm cogitará, sed non
ingratus tamen (vt spero quidem certè) quæ
vestra est, mihi quoque priuatim perspecta,
humanitas. Cùm quartò abhinc anno libel-
lum, cui nomen dedi Iesu Nazaræo, vobis of-
ferrem, spem faciebam studiosis sacrarum li-
terarum huius vestræ Academiæ Lausannen-
sis, adolescentibus, fore, vt quem tum ingrediebar cursum prosequerer
in publicam etiam ipsorum vtilitatem. Eò pertinebat illud consilium,
institutumque nostrum, vt in lucem emitterem, quæ in sacra penu no-
stra literaria recodita apud me habebam, id est, ad sacrarum literarum
interpretationem, & multiplex studium pertinentia. Verùm aliter pla-
cuit Domino, in cuius manu sunt viæ omnes nostræ: &, vt nihil aliud
impedierit, variæ tamen pestes hic etiam grassatæ, quæ necdum ipsæ
prorsus conquieuere, Typographicam officinam multis intermissi-
bus afflixerunt. Nunc verò simulatque vester mihi Typographus ope-
ram dare potuit, nihil antiquius habui, quàm vt promissis stare, præ-
sertim cùm ad hoc ipsum scriptis quoque ad me literis, exhortati esset
multò antè amicorum nonnulli, coràm etiam alijs, vt id præstarem, vrge-
rent, instarèntque. Cæterùm cùm liceret alia quædam ex nostris scri-
ptis proferre, placuit maximè ea nunc edere, & vobis dicare, quæ in A-
pocalypsin Ioannis Theologi annotaram, quia & liber ipse totus est
mellitissimus, refertus scilicet suauissimis consolationibus, in medio
grauissimorum malorum gurgite, & ego eum sæpiùs relegendo (vt a-
lias omnes totius scripturæ partes) aliquid mihi videbar assecutus Deo
dante.

Accidit & altera causa, & quidem iustissima (ni fallor) quòd sanctis-
simis magistratibus (ex quorum numero vos esse singulari Dei gratiâ
agnosco) Christianis proceribus, Principibusque in Ecclesia viris, hic
peculiariter etiam quædã dicuntur, & in eorum non tantum commo-

E P I S T O L A.

nefactionem, sed etiam cōmendationem, & laudem. An non enim eximium illud est, & valde illustre, quod decimo septimo capite dicitur fore scilicet suo tempore, vt reges, & qui rerum potiuntur in populis, gentibus, & linguis, meretricem illam magnā amictam purpura, & cocco, & inauratam auro, & lapidibus pretiosis, & margaritis, habentem poculum aureum in manu sua, plenum abominationibus, & immunditia scortationis suæ, & in fronte sua habentem nomen scriptum, Mysterium, Babylon illa magna, mater scortationum, & abominationū terræ: fore (inquam) vt sanctissimi magistratus illā ipsam mulierem, meretricem, ebriam sanguine sanctorum, & sanguine Martyrum Iesu oderint, & desolatā reddant & nudam, &c. Præclara scilicet dicit hic liber fore Dei organa, ipsos populorū magistratus, ad liberandā Ecclesiam dura, & dira, diurnaque Romani Antichristi tyrannide oppressam: fore Reges & Reginas, eosque penes quos rerū est potestas his vel illis in nationibus, apertissima, & aptissima instrumenta iustissimæ Dei iræ ad vindicandū sanguinem innoxium, quem iniquissimis iudiciis exorbuit insana illa perfrixtæ frontis synagoga Romana. Gratia ergo Iesu Christo Domino nostro per omnes eius Ecclesias, quod serenissima Elizabetha Angliæ regina, nobilissimus etiam Iacobus Scotiæ Rex, optimi patris generosa proles, viuunt & regnant sub Domino Iesu, Rege regum, & Domino dominantium, meretricem illam Romanam persequentes. Illis verò vicinus Illustrissimus Princeps Auriacensis in hoc ipsum strenuè & ipse incumbit. Hic quoque eminent Dei gratia illustrissimæ domus Principum Electorum, Ducum Saxonix, & Comitum Palatinorum Rheni. Nec minùs illustre est Dei opus, tota domus Landgrauiorum Hesiæ, ipse verò in primis benignissimus Dominus Guilielmus, vt defuncti patris primogenitus filius, sic Christianæ magnanimitatis, & eximiarum virtutum imitator, ac hæc res, vt ita dicam. Anhaltina quoque domus non desuit & ipsa Ecclesiam Dei protegere ab incursionibus Romani Antichristi omniumque illius emissariorum. Longum verò esset si singulorum nomina iam recensere vellem. Essent enim laudandæ Christianæ Respublice Norimbergensis, & alię eodem in tractu Germaniæ: esset & Argentinensis, complurésque simul, vel vicinæ, vel non ita remotæ. Sed vt condonabunt mihi, qui taciti prætereuntur hoc nostro sermone (quos tamen generali appellatione magistratuum Euangelicæ reformationis studiosorum, & Antichristum auersantium, vt par est, meritò complector) ita in Gallia natus ipse facere non possum, quin cum serenissimo Rege Nauarræ, patrualem quoque eius illustrissimum Condensem Principem, & alios nobiles Dominos, qui causam Euangelij propugnare non desinunt, profitear & agnoscam nutritios quosdam esse Ecclesię, quo sensu id dicitur ab Isaia. Multò verò minùs taceri à nobis de-

cet,

E P I S T O L A.

cet, Magnifici Domini, fidelissimos fratres vestros Heluetios, nobilissimas scilicet & Christianas in primis ciuitates. Tigurinam, Basiliensem, & Schafusianam. At omnium minimè prætermittendi mihi hic estis ipsi vos, Magnifici Domini Berneses, & fœderata vobiscum Geneua. Vt verò aliis omnibus, quos vel nominavi, vel in genere ipso designari sum professus, ita vobis præcipuè, fratribusque his vestris, ac fœderatis precari non desinam, Dominus Iesus Christus propior ut adsit semper in dies, longius autem abscedat Antichristi spiritus omnis. Et hæc quidem fuit mihi occasio, vel potius maximè idonea causa offerendæ vobis huius lucubratiunculæ nostræ in librū Apocalypsis, quemadmodum & priorem illā cui nomen dabamus Iesu Nazaræi ab ipso tractationis argumento, vestro quoque celeberrimo nomini inscribere officij nostri tū esse duximus. Quare sicut priore libello Christum vobis depingi audiistis, ita hac Apocalypsi detegit Christianisque omnibus Principibus ac proceribus ipse Deus horrendā illā abominationē Rō. Antichristi, ut eā toto pectore exhorreant ij omnes quotquot hoc honore affecit, ut potestate eos publica ornarit, & præesse voluerit in populis. Quid molitus fuerit Satan ab initio, nec desierit per tot annos machinari, ut vos ad Papatus Romani detestationem abominandam approbandam retraheret, & ab Euangelij professione abduceret, quid etiānum hoc tēpore vario astu, & vndique, modò hic, modò illic, non longè etiam à vobis, & finibus vestris moueat, ipsi pro vestra prudentia, quam dedit vobis Dominus, scitis Magnifici Domini, ne me monitore egentis. Condonabitis tamen mihi, nec iactantiæ, aut affectationi tribuetis vlli quod dicturus sum: Me scilicet (prout debeo, alio qui erga Deum, & à Deo institutum Magistratum ingratisimus) quotidie precari toto corde: ut Deus vos magis ac magis confirmet, & stabiliat in sanctę vocationis cursu, ad quē vos vocauit per viscera misericordiæ suæ gratuitæ prorsus: ut vim omnē externā eorū qui seruiūt illi homini peccati, filio perditionis, & Antichristo illi Romano, longissimè à vobis vestrisque propulsare pergat: ut spirituales omnes nequitas emissariorū Pseudoprophetæ illius (quarū genus propè est infinitum, horrendū chaos, exitiū certissimū in aduentu illo illustrissimo Domini Iesu) excutere, discutere, cōcutere, conuassare, & cōterere sanctissimè, animosissimè, & potētissimè vobis det, nequādo vulpes illæ irrepāt in Christi Ecclesias, quę sunt in tota ditione, quā vobis ille Rex regū, & Dominus dominorū tribuit ad gloriā nominis sui, & Christianismi propagationē. Non ignoratis, quo spiritu agantur Rom. Pontifices omnes, non opus est eorum vitas vobis sermone longiori describi, quorū facta ipsa per se loquuntur, & nihil nisi scelus nefandū spirant. Istorum enim Pontificum, omniūque qui ex eorū sinu prodeunt, eloquentia etiā ipsa tota ad auaritiā, ambitionem, crudelitatem spectauit semper,

E P I S T O L A.

cum certissima salutis animarum ruina, regnorum deinde, ac Rerum-
 publicarum funesto exitio, & lamentabili euerfione, vt meritò possit
 dici (quod inquit ille) lucrosa & sanguinans eloquentia omnium eius-
 modi, siue Romulidarum à Romulo, siue Numidarum à Numa: sic
 quippe eos vocare suo merito necesse est, etiã vbi maximè proditoriè
 ementito nomine Iesu volūt sacrosancti haberi. Cæterum cum omnia
 semper variè turbare in mundo conata sit, & in Ecclesia, Papalis Ro-
 mana sedes, Sixti quarti nunc maximè recordor, qui ex monacho Frã-
 ciscano Pontifex Romanus factus, talem se præstitit, vt cacodæmon hu-
 mana carne indutus, potiùs quàm homo fuisse videatur. Nec mirũ in
 eo homine, quem mater nondum natum v isa sibi sit videre in somnio
 (spiritu scilicet aliquo immundo afflante: neque enim diuinũ somniũ,
 aut ex sancti alicuius Angeli ministerio potuit esse) Frãciscana cuculla
 indutum, & cannabaceo fune Minoritarum præcinctum, quem deinde
 nuper natum, & semel atque iterum de vita periclitantem, infantulum
 etiamnum, voto concepto, immerferit, nequid grauius dicã, in super-
 stitiosum illum Franciscani monachatus vestitum: quasi scilicet Chri-
 stum induisse in Baptismo, non tanti debeat esse nobis, vt maior san-
 ctitas ex hominum commentis quæ sita, Diabolicus sit instinctus. Pro-
 ditorias autẽ Sixti illius quarti artes perpulchrè est imitatus Iulius se-
 cundus fratris filius, cui patruus ipse suo Pontificatu viã munierat, &
 aditum cõpararat ad sedem Papalem suo etiam tempore (triginta ferè
 scilicet annis postquam Cardinalis fuerat factus) occupandam, id est,
 Italiam totam ciuilibus bellis funestandã. Fuit quippe Iulius ille secun-
 dus, vt mitissimè loquuntur Papatus Romani plusquã deceret aman-
 tissimi homines, bellica gloria plusquàm Pontificem deceret clarus.
 Vnum & alterum nominavi: sed meministis, Magnifici Domini, illud
 apud poetam, Crimine ab vno pisce omnes. Vetus etiam illud recor-
 damini, Dictum sapienti sat est. Superest, Magnifici Domini, vt (quod
 facturos vos spero maximè volentes) petã à vobis, nostrum hoc studiũ
 quo adolescentibus prodesse cupimus, qui in spem sacri ministerij ve-
 stra liberalitate hic fouentur, approbatione quoque vestra confirmare
 dignemini. Porrò si multa insuper nunc præfari apud vos aggrediar,
 videbor fortasse quibusdam, me, meãque potiùs commendare, quàm
 huic sanctissimæ scripturarum parti, suam authoritatẽ asserere, & de-
 bitam laudem tribuere. Illud ergo tantũ dicam, hic quoque me meã
 seruasse consuetudinem docendi, & scribendi, vt à mera simplicitate ne
 latum quidem vnguem discederem. Idque eò libentiùs facio, quia quò
 plus operæ pono in legendis ipsis sacris scripturis, & sacrarum scriptu-
 rarũ interpretibus, tum vetustioribus illis, tum recentioribus quoque,
 & nostræ ætatis, eò magis video prudentibus semper placuisse summã
 in sacrarum scripturarũ tractatione simplicitatem, vt ei quarto modo
 (quod

E P I S T O L A.

(quod dicunt scholæ) id est omnimodo maximè propriam. Et in eam quidem sententiam non ita pridem legisse me recordor summorum in Ecclesia virorum Lutheri & Oecolampadij sanctissima quædã, quæ hic breuiter inserere non pigebit, vt authoritate quoque vestra quodammodo fanciantur similia multa in animis nostrorum auditorũ, quæ sæpe solitus sum in nomine Domini monere eos. Sic ergo beatæ memoriæ Oecolampadius, Longè alios auditores, & discipulos quoque sacræ Scripturæ postulant, nedũ præceptores, quàm profanæ literæ, nẽpe attentiores, veritatis audiores, verbæque Dei plurimùm suspicientes, & qui precibus ardeant spiritualibus. Quales non erunt, quorum omnis vita, vel immunditia, vel hypocrisis est: imò qui non cupiunt ferriò Dei voluntatem facere, inidonei sunt auditores. Fugiet enim Spiritus S. (vt sapiens verbis paulò diuersis ait) simulatores discipulos, & animas peccandi consuetudine humi depressas, quas neque Deũ audire, neque cum Deo loqui iuuat, hoc est, quibus nausea est precari, iisdẽ & nausea erit doceri. Porci tales sunt indigni, quibus margaritæ contingant. Hæc, inquam, Oecolampadius ille. Similia verò Lutherus ipse suo more seuerissimè quidem, sed verissimè tamen. Sunt quoque (inquit) nonnulli prædicatores, putantes se non posse verbi præcones agere, nisi aliquid præter Christum, & supra nostram doctrinam docuerint. Hi sunt ambitiosi illi, qui nostra simplicitate relicta, in propria incedunt sapientia, vt omnium oculis in se solos coniectis dicant homines, οὐτὸς δεινὸς ὁ πάντων διμαγωγός. Tales Athenas ablegãdos esse oportebat, vbi quotidie noua captant homines. Quærunt enim suã ipsius, non Christi gloriam, &c. Hæc sunt ipsissima magni quoque illius Lutheri verba. Sed (vt ad nostram hanc Apocalypsis interpretationem reuertar) mirabuntur fortasse nonnulli abstinuisse me à laudandis ijs, qui in huius libri interpretatione fidelem operam antea nauarunt, & laborarunt nõ infeliciter. Atqui non feci obliuione, multò verò minùs vel superba, vel quoquomodo turpi ingratitude. Sed laudatione scilicet vlla præterea non egent laudatissimi prorsus viri, & quos sedulitatis ac diligentia nomine suæ ipsorum lucubrationes satis commendant. Deinde caendum quoque illud fuit, ne si quos nominatim laudarem, reprehendere tacitè viderer eos, quorum nomina in laudando non ederem. Sed illud multò magis vitandum mihi fuit in iis laudandis, qui adhuc Dei gratia superstites viuunt, ne eos laudare dicerer vicissim vt ab ipsis laudarer & ipse. Consultissimum itaque esse credidi, vt rem ipsam simplicissimè proponerem, abstinere autẽ à digressionibus omnibus, quæ assentationis aut ambitionis speciẽ vllam præ se ferrent. Omniũ verò maximè defugi aliorũ sententię reprehensiones omnes, quia & ex aliorum laboribus magnum me fructũ cepisse, ingenuè semper profitebor, pro quibus referre ipsos odiosam reprehensionẽ, indignũ est prorsus.

E P I S T O L A.

Omnis autem eorum reprehensio, etiam leuissima, quibusdam fortasse ex odio, vel contendendi studio, alioue non satis Christiano affectu profecta videretur. Quare contentus fui simpliciter prodesse, & bonorum iudicio subiicere quod profero, & quidem eos etiam obnixè precatus per Dominum nostrum Iesum Christum, vt hanc qualemcūque opellam, lucubratiunculamque nostram æqui boni consulere velint.

Quòd si Ecclesiæ placere, bonis & doctis non improbari, iuuentuti autem rerum Theologicarum studiosæ prodesse intellexero nostros hos in opere Domini labores: dabo operã, quoad in me erit, vt & postea prodeant in lucem non pauci eorundem studiorum nostrorum Theologorum, quos iam concepi in Domino, fœtus ipsi quoque fortassis vtiles futuri. Apparebunt autem, vt spero, cum fausta inscriptione præcipuorum in ciuitate, totaque ditione vestra virorum, quorum priuato nomini modò hoc, modò illud scriptorum nostrorum dicare decreui, quemadmodum hoc iam secundum munusculum pro mea tenuitate publico vestro nomini, in clyto scilicet Bernensi senatui inscriptum, meæ erga vos obseruantia testimonium apud omnes luculentū fore confido. Dominus Iesus sit semper vobiscum, Magnifici, & plurimum obseruandi Domini: cuius mihi ad extremum vsque ad futuram gratiam, adiuuantibus quoque precibus vestris, non dubito, & obnixè peto. Lausannæ. Sexto Calend. Februarias. Anno Domini c1o 1o LXXXI.





METHODVS FACILIMA

AD EXPLICATIONEM SACROSANCTÆ

APOCALYPSEOS IOANNIS THEOLOGI,

ex ipso libro desumpta.

Breuis partitio totius libri, quæ eius & argumentum, & ordinem omnem complectitur, partiumque præcipuarum inter se connexionem indicat.



ANCTISSIMA hæc Apocalypsis non incommodè in tres præcipuas partes diuidi posse videtur, ad faciliorem perceptionem rerum omnium in ea comprehensarum & descriptarum. Prima pars ad initium vsque capitis quarti extenditur: secunda habet quartum caput & sequentia omnia vsque ad initium vigesimi primi. Tertia continetur duobus vltimis capitibus. Nunc, quoad eius fieri poterit (neque enim eodem vbique verborum compendio id præstare datur) succinctissimè percurramus harum trium præcipuarum partium summam.

PRIMA PARS APOCALYPSEOS.

Caput primum, secundum, tertium.

PRima tria capita (præter totius libri titulum, & visionem illam admirandam, qua Filius Dei apparet Ioanni, testaturque se esse huius Apocalypseos authorem datum à Patre) continent laudationes, consolationes, promissiones, reprehensiones, comminationes ad septem Ecclesias Asiæ, & sub earum nominibus ad omnes in vniuersum Ecclesias, vel tum præsentis, vel postea futuras, vsque ad finem seculi. Verbum enim Domini manet in æternum. Præcipue tamen spectabant hæc ad confirmandos in cursu sanctæ vocationis, & pura fide Iesu Christi singulos fideles, & totas Ecclesias, vsque ad tempora Antichristianæ defectionis (quæ cap. 3. vers. 10. dicitur hora tentationis ventura in vniuersum orbem ad explorandos incolas terræ) & in genere præmuniendas ad præcauenda pericula ab illius primordiis, & anteambulationibus multò antè præcurrētibus, irrepētibus, & sese vario astu insinuantibus, manente tamen substantia, & essentiali forma sacri ministerij Ecclesiastici, plærisque semper in locis.

PARS SECVNDA APOCALYPSEOS.

Caput quartum, quintum, sextum, septimum, octauum, nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimumtertium, decimumquartum, decimumquintum, decimumsextum, decimumseptimum, decimumoctauum, decimum nonum, vigesimum.

CÆterùm quia tam horrenda dissipatio omnium Ecclesiarum, labefactatio sacrosanctæ Dei veritatis, deformatio totius domus Dei, & sessio Antichristi in templo eius, retenta inani larua sacrorum nominum ad fucandam impietatem Diabolicam, rerum monstra erant, quæ optimos quosque, ipsos (inquam) etiam Dei electos, partim terroribus & minis concutere, partim vana specie pietatis decipere, fallere, & in errorem abducere, adeoque tandem in exitium pertrahere posse viderentur: ab initio capitis quarti, ad vigesimum vsque primum caput, totus libri contextus consumitur in variè describenda, graphicè depingenda sæpius, & ob oculos omnium ponenda Romani Papatus abominatione, omnes Ecclesias fastuosè conculcantis, & Deo contumeliosissimè simul, & vaferrimè illudentis. Et tamen subinde multa interferit, aspergit, intexit, quæ Deum & Christum eius pronūtiat, & apertissimè ostendant, partim iustissimè sic vlcisci mundi ingratiudinē, & contemptum Euangelij, partim suos conseruare, vel illæsos à tam noxiis erroribus, vel sic æstu illo dese-

A. j.

tionis vniuersalis abreptos ad tempus quantumcunque, vt resipiscant tamen, nec pereant tandem: partim victorem eum esse, & ab ipsis tantorum malorum primordiis, & in omnibus eorum progressionibus oppugnatorem aduersariæ aciei fortissimum, cōstantissimūque: sed maximè exitu ipso triumphatorem magnificentissimum, & agonotheten iustissimum in suorum omnium admirabili, & nunquam finienda lætitia, Antichristi autē & Anchristianorum, hostiūque omnium suorum cruciatibus æternis.

Subdiuisio secunda partis Apocalypseus, in octo sectiones.

Hæc verò præcipua totius libri pars, septemdecim, quæ vocantur capita continens, admirabili planè & diuino ordine, atque ad docendum accommodatissimo progreditur in tot tantarūque rerum solenni quadam repetitione, & crebriori inculcatione. Et eam quidem commodissimè, nec minus concinnè partiemur ex ipsius Ioannis scriptoris mente, atque etiam (vtpote) ex consilio Domini Iesu authoris, si dicamus septemdecim hæc capita diuidi, primū in septem sigillorum apertionem, clangorem tubarum septem, & effusionem phialarum septem: habere etiam sua quædam præcemia tria, quæ præparent lectorem ad varium hoc, & triplex genus visionum: deinde partim interseri, & media poni multa, partim postponi, & vltimo loco subiici alia non pauciora, quæ omnia simul spectent ad expositionem trium illarum præcipuarum visionum, & veluti commentarij vice esse debeant ad intelligendam tam sigillorum apertionem, quàm clangorem tubarum, & phialarum effusionem. Ita autem hæc secunda pars totius libri, quæ per septemdecim capita extenditur, subdividenda erit in octo suas quasdam sectiones hoc ordine. Prima sectio quæ habetur toto capite quarto & quinto est præparatio ad septem sigillorum apertionem. In secunda sectione est ipsa sigillorum apertio capite sexto, & septimo. Tertiam sectionem constitui- mus in sex primis versibus capitis octaui: & ea est præparatio ad septem tubarum clangorem. Quarta sectio erit in narratione clangoris septem tubarum: & hæc à versu septimo capitis octaui extenditur vsque ad initium capitis duodecimi. Quinta sectio continet visiones alias quasdam, quæ subserviunt declarationi tam septem sigillorum, & tubarum septem quæ præcesserant, quàm septem phialarum, suo ordine in ipso libri cōtextu: & hæc quidem quinta sectio est in capite 12. 13. 14. Sexta verò sectio nobis occurrit per totum caput decimumquintum: quod est præcemia quoddam siue præparatio ad septem phialarum effusionem. Septima sectio patet apertissima toto capite decimosexto in septem phialis, quæ effunduntur ab Angelis totidem. Octaua & postrema sectio huius secundæ partis præcipuæ totius libri, est in capite decimosexto, decimooctauo, decimonono, vigesimo: & habet visiones subservientes declarationi & confirmationi omnium præcedentium.

Prima sectio secunda partis.

Caput quartum Apocalypf.

Primum ergo capite quarto pulcherrima & magnificentissima proponitur descriptio Dei in excelsissimo suo throno sedentis, & inde omnia in cælo, terra, & mari iustissimè & sapientissimè gubernantis, astantium sanctorum Angelorum, oculis etiā eius semper præsentissimæ Ecclesiæ.

Caput quintum.

Proponitur deinde capite quinto Agnus, filius scilicet Dei stans ante thronum Patris, & ex dextera eius accipiens librum septem sigillis obsignatum, quæ singula suo ordine aperiat, quia solus id potest, & præter eum nemo.

Scopus & finis præcipuus capitis quarti & quinti.

Tota verò hæc duorum capitum comprehensio eò pertinet, vt sit quædam præparatio ad sextum & septimum caput (vbi libri illius diuini obsignatissimi sigilla septem aperiuntur) ne quis scilicet existimet, quando in terris omnia turbant homines, Deum, Christumque eius non esse omnipotentem, & omniscientem: denique illum verè Optimum in cælo ita regnantem, vt inde omnia gubernet, regat, inflectat, moderetur, immutet, & ad exitum perducatur mirificum, & omnium optimum, immutabilis ipse in omnibus suis consiliis, quippe æternis, iustissimis, & sanctissimis. Ideò & Ecclesia & sancti Angeli, & creaturæ omnes sæpius introducuntur canticum laudis Deo, & Agno canentes, hac etiam ipsa libri parte.

Secunda sectio.

Caput sextum & septimum Apocalypf.

Postea capite sexto & septimo describitur Agnus septem sigilla aperiens, suo vnūquodque ordine, quibus recensentur, & depromuntur innumeræ propemodum calamitates. Neq; enim in numero septenario præcisè est insistendum, cum potius ingens aliquid, multiplex

tiplex & numerosū significet, vt in prima libri parte septem Ecclesiæ omnes Ecclesias denotabant. Septem, inquam, libri illius sigilla aperiunt calamitates Ecclesiis & toti mundo impendentes à Deo iustissimè irato propter Romanum Papatum omnia turbantē, & crudelissimè persequentem Christi fideles, vt apertius constabit ex sequentibus totius libri sermonibus: hinc verò iam insinuat in sigilli quinti apertione. Neque enim septē sigillorum apertio ordinem temporis interuallis certis distinctum semper denotat, sed sæpe tantum ad ordinem diuinæ narrationis, & sanctæ visionis spectat: id est, non quid prius, aut posterius inter hæc septem futurum sit certissimè exprimit: sed qua serie sermonum, & signorum hæc Ioanni indicata fuerint. Vnum tamen excipio, quòd septimum sigillum omnino est vltimus dies, & sextū præparatio magis ac magis aduentatis proximæque instantis illius diei.

Partis secundæ libri, tertiæ & quartæ sectio simul.

Caput octauum, nonum, decimum & vndecimum.

Porro quia leuius & breuius ista per septem sigillorum apertionem dicta videri poterant pro rudi captu plerorumque, aut certè pro rerum tam horrendarum, quas habet Romanus Papatus, incredibili, & prorsus monitrosa infania: placuit Deo, secundū etiam genus visionū subiicere, quo eadē omnia Ioāni iteraret, sed expressius, significantius, efficacius & magis specialiter, quàm in priori illo. Ergò caput octauum, nonum, decimum, vndecimum, in septem tubarum clāgore Romanum Papatum, & Dei iudicia aduersus illum depingunt: sed prolixius, & longiori sermone, maiorique omni apparatu, qui in septem sigillis delineatus tantum videri poterat, & tenuissimè adumbratus. Iam (inquam) septem tubarum clangor viuos omnes colores addere dici potest priori illi Papatus Romani *σκιαγραφία*, vt ita dicam. Verùm dignissima est tota narratio, cuius partes etiam præcipuæ expendantur.

Tertia sectio separatim.

Capitis octauis sex primi versus.

Ab initio ergò capitis octauis silentium factum dicitur in cælo media ferme hora: tum verò magnifica quædam, & omnis sanctæ reuerentiæ plena recensentur veluti præparatoria ad septem tubarum clangorem, quemadmodum & quædam præcesserant septem sigillorum apertionem. Nam cum formidabilia omnia essent auditu, quæ suo tubarum clangore septem Angeli prænuntiaturi priusquam ea audiat Ioannes, dicitur vidisse Angelum cum thuribulo aureo, & suffitibus multis, quos daret & veluti aspergeret precibus sanctorum, ascendisse autem fumus suffituum illorum suffitorum precibus sanctorum è manu Angeli ad conspectum Dei: quo scilicet significatur boni odoris esse coram Deo, & sanctis eius fidelibus, gratiarumque actionem mereri, seuerissima quæque etiam ipsius iudicia, imò & effectus quosdam esse exauditarum precum Ecclesiæ, & in medio ipsorum horrore ac veluti fragore exaudiri sabinde voces, gemitus, suspiria, vota, & preces omne genus sanctorum fidelium. Hac de causa Angelus ex eodem igne altaris, thuribuloque eodem & accendit, adolētque thymiāmata, quibus suffiantur preces sanctorum: & proiicit in terram, quòd fiant tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus. Hæc, inquam, est veluti præparatio quædam sacrosancta ad septem tubas.

Quarta sectio separatim.

Tubarum clangor, clangorisque effecta miranda ordine suo referuntur, sex scilicet tubæ à versu sexto capitis octauis, vsque ad initium capitis decimi. Ipsum tamen caput decimum, & vndecimi pars prior spectant ad sextam tubam: sed quia speciali obseruatione egent, ideo separo, aut saltem distinguo aliquatenus à præcedenti contextu.

Caput decimum totum, & in capite vndecimo versus quatuordecimi primi: quæ pertinent ad quartam sectionem.

Capite ergò decimo, vndecimo, vsque ad versum decimūquintum veluti digressio quædam videri potest esse & interruptio cœptæ antea & continuatæ narrationis. Verùm multò aliter se res habet. Est enim pulcherrima & luculentissima, planèque diuina descriptio renouatæ cælitus prædicationis Euāgelij instaurantis Ecclesias in mediis tenebris Romani Papatus, est & ad viuum expressa tum vis sacri ministerij in ore seruorum Dei Romani Papatum oppugnans, toto prope mundo contrā nitente, & eum quoquomodo fulcien- te, tum sæua Antichristianorum persecutio in sanctos Euāgelicæ doctrinæ præcones, filiis interim huius mundi sibi in tanto scelere congratulantibus, & infana latitia diffluentibus ac perstreptentibus: sed vtrobique admirabilis Dei prouidentia, & Antichristianam sectam horribilis terroribus percellēs, & crudeliter trucidatis prioribus seruis suis alios subinde substituens, vt primi illi quodammodo reuiuiscere videantur.

Observandum verò (vt antè monui) caput decimum totum, & undecimi priorem partem, de quibus hic agimus, esse continuationem descriptionis eorum, quæ sexta tuba significabat & denuntiabat: ideòque inter cætera versu septimo capitis decimi magnificè proclamari ab Angelo (alio tamen, quàm ex illis, qui septem tubas habebant) & instantissimè, maximèque planè cum authoritate præmoneri homines, dum clangit sexta tuba, cogitandum sibi esse illud etiam atque etiam, quando prodibit septimus Angelus, illum ipsum esse diem, qui rerum simul semelque omnium finem affert, id est, consummationem huius seculi, & tum venisse iudicium illud summum semper antea prædictum, nec differri vel ad momentum vllum, sed præsentem adesse iudicem ipsum omnium oculis conspiciendum.

Capitis undecimi versus decimus quintus & sequentes, quæ omnia spectant adhuc ad quartam sectionem secunde partis.

Propterea tandem capitis undecimi versus quinque postremi proponunt, & quasi subiiciunt oculis, diem illum consummationis seculi, & Domini aduentum tum formidabilem cunctis in vniuersum hostibus eius, tum optatissimum, iucundissimumque piis omnibus, qualis & eius descriptio fuerat in septimo sigillo, capite septimo versu nono, & sequentibus.

Quinta sectio secunde partis.

Caput duodecimum, decimum tertium, decimum quartum.

Et hæc quidem est eorum summa, quæ ad initium vsque capitis duodecimi legimus. Restabat autè (quia hoc erat Dei consiliù, & Christi, hæc omnia de Romano Papatu prænantiantis seruo suo Ioanni) vt tertio quoque visionis genere eadè omnia præsignificarentur, per septè scil. phialarù effusionè, quæ indicata fuerant in septè libri sigillis, & septem tubis. Sed antequàm id faciat Deus (cuius rei narratio est cap. 15. & 16.) media multa interiiciuntur ca. 12. 13. & 14. nec tamen sine causa, aut quasi temerè interrupta connexionè triplicis signorum generis ad rem eandem tendentium, sigillorum scilicet, tubarum, & phialarum. Quin imò quæ habentur visiones Ioanni oblatae cap. 12. 13. & 14. etsi eodem spectant, quò & sigilla, & tubæ, & phialæ diriguntur (nempe ad Ecclesiæ conditionem depingendam, quam Romanus Papatus, florentem alioqui, & sæcundam, vexat, obruit, pessundat, & omni nefario conatu conculcat, & profligat: Deus autem, quantumuis solitariam & profugam, conseruat incredibili miraculo, & insigni misericordia reducem postliminio exhibet omnium oculis, victoriosissimus ipse semper triumphator Diaboli, & Antichristi, per sanctos Christi fideles) etsi, inquam, idem est scopus, eadèque significatio eorum, quæ vidisse se scribit Ioannes cap. duodecimo, decimo tertio, & decimo quarto, quæ & priorum illorum: magis tamen hæc intexuntur, & media interponuntur toti narrationi, vt sint expositionis, & quasi commentarij vice cum præcedentibus illis visis, sigillorum scilicet & multò magis tubarum, tum omnium maximè iis, quæ postea sequuntur, phialarum scilicet effusioni toti.

Caput duodecimum.

Quia enim Euphratis, & Bestiæ facta fuerat mentio aliqua, fiet autem sæpius & expressius in septem phialis effundendis, ideò primum cap. 12. Ecclesia per visionem describitur Ioanni, diuino omni ornatu splendens mulier, & quasi parturiens sanctissima matrona, draco autem ei partuque, siue toti semini eius variè insidians simul proponitur.

Caput decimum tertium.

Deinde capite decimo tertio ostenditur bestia è mari ascendens, cui draco virtutem suam, & thronum suum, & potestatem magnam dedit: alia etiam bestia ascendens è terra, habens cornua duo similia Agni, sed loquens, vt draco: ita & imago bestiæ, & character, & nomen, & numerus nominis eius Ioanni prædicuntur: tum insanæ eius artes ad decipiendos incolas terræ: & hinc dicitur apparitura, & exstatura patientia & fides sanctorum.

Caput decimum quartum.

Postremò capitis decimi quarti pars prima, ab initio scilicet ad versum vsque sextum, Christi Ecclesiam totam simul collectam, & in cælis cum capite suo regnantem, prorsus scilicet conculcata & contrita omni aduersaria vi, depingit omni sanctæ lætitiæ expressione. Eiusdem autem capitis secunda pars, à versu scilicet sexto ad versum 14. complectitur, & pronuntiat, quibus progressionibus, & quo rerum exitu, in regnum illud cæleste ascensura sit Ecclesia: nempe quia Euāgelij prædicatione omnes gètes & tribus, & linguæ, & populi, & admonebuntur, vt Deum verè timeant purèque adorent, & maximè seriò certiores fient impendentis exitij Babylonis vrbi illi magnæ, omnibusque adorantibus bestiam, & imaginem eius, &c. Postrema pars eiusdem capitis 14. à versu scilicet 14. ad finem vsque, habet descriptionem Christi ad iudicium venientis, sub figura hominis super nubem candidam

dam sedentis, habentis in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam, & terram totam demetentis: quemadmodum & Matth. 13. v. 39. consummatio seculi denotatur nomine Messis.

Sexta sectio secunda partis.

Caput decimumquintum.

Totum decimumquintum caput, aditus quidam est ad septem phialarum effusionem; viam (vt ita dicam) sternens, & lectorem ad hoc visionum genus tertium præparans: quemadmodum diximus cap. 5. esse præfationem quandam magnificam sigillorum apertioni præmissam, & initio capituli octavi (versibus scilicet primis sex) esse triumphale quoddam proæmiam ad septem tubarum clangorem. Non dissimili, inquam, ratione cum septem phialæ, quæ effunduntur à septem Angelis Dei iussu, terribilia omnia & maximè horribila denuntiant hominibus, imò in homines re ipsa deiiciant: nequis vel temerè & insipienter, vel crudeliter, & immoderatè quicquam à Deo fieri suspicetur: aut etiam non satis consultè, & providè ad suorum salutem: iam antequam prodeant septem Angeli cū suis septem phialis aureis, videt Ioannes in Spiritu eos qui reportaturi erant victoriã ex bestia & imagine eius, & caractere eius, & numero nominis eius, habentes citharas Dei, & ei canentes canticum laudis: iustitiãque eius sanctissimo concentu prædicantes: ipsi autem Angeli cum prodeunt, habentes septem plagas, acceptis septem phialis aureis plenis iræ Dei, apparent induti lino puro & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis: magnifico scilicet illo ornatu, honestissimoque amictu palam testantes, Dei consiliorum, iudiciorum, operumque omnium & candidissimam, purissimamque, & pretiosissimam esse summam totam.

Septima sectio secunda partis.

Caput decimumsextum.

Caput decimumsextum, vbi septem illi Angeli phialas suas effundunt, cum res easdem complectatur (vt sæpe antea dixi) quas & septem sigilla aperiebant, & septem tubæ clangebant resonantissime, incomprehensibilia scilicet, sed irreprehensibilia, tremenda (inquam) & adoranda simul Dei iræ iudicia in Romanum Papatum, sanctæ Ecclesiæ vastatorem & depopulatorem: hoc tamen habet proprium, quod non eminus rem ostendit, & generali quodam sermone vtens eam notat (vt in septem sigillis adumbrabatur) nec obscurioribus quibusdam dicendi figuris eam involuit, (vt videri poterat factum in sex tubis) sed ab ipso initio, & prima phiala apertissime nominat homines habentes characterem bestię, & eos, qui adorant imaginem eius (satis cogitandum scilicet relinquens eodem pertinere secundam, tertiam & quartam phialam) quinta quoque phiala suis nominibus dicit thronum bestię, & regnum eius factum tenebrosum: sexta item phiala, vnum idemque prope modum, & prorsus consentiens os dicit esse his tribus, draconi scilicet, bestię, & Pseudoprophetæ. Clarissima autem iam erant hæc omnia nomina ex iis, quæ caput duodecimum, decimumtertium, decimumquartum edissererat, ac tractabat.

Octava sectio secunda partis habet caput decimumseptimum,

decimumoctauum, decimumnonum, vigesimum.

Et tamen nequid dubitationis relinquere videatur, ad omnem (inquam) ambiguitatis speciem tollendam, capite rursus decimo septimo spectandum exhibet Ioanni Angelus Romanum Papatum in meretrice magna sedente super aquas multas, cum qua scortati sunt Reges terræ, & quæ vino scortationis suæ inebriauit incolas terræ &c. exponitque Ioanni idem Angelus, quamnam sit mulier illa meretrix, ebria etiam sanguine sanctorum, & sanguine Martyrum Iesu, quæ in mysterio dicitur, Babylon magna, mater scortationum, & abominationum terræ: esse scilicet affirmans urbem magnam, quæ habet regnum super reges terræ & quæ sedet super septem montes. Hæc proculdubio designatio nisi vrbi Romæ conuenit, tenebræ non sunt tenebræ. Et congerit tamen alias eiusdem rei testes & indices circumstantias, à temporibus, & personis prope modum sumptas, consiliorumque hinc humanorum subita mutatione, & conuersione prope incredibili.

Caput decimumoctauum.

Caput decimumoctauum mira verborum & sententiarum congerie prolixè prosequitur descriptionem exitij vrbis Papatũque Romani, sub Babylonis nomine iam antea in hæc Apocalypsi usurpato. Interferit etiam saluberrimas & maximè serias admonitiones, vt inde exeant quoscunque salutis suæ cura tangit vlla, ne eodem illo horrendo exitio cum Babylone inuoluantur. Excitat quoque pios omnes ad iustum Dei gloriæ zelum, incitatque, accendit, & inflammat eorum studia ad oppugnandam illam Babylone, vt piorum scilicet quisque pro se, proque vocationis suæ ratione, vlciscatur ludibria, iniurias, contumelias, imposturæ etiam & crudelitatis genus omne, quibus per tot annos Romanus Papatus non facit finem vllum insultandi Deo & Christo, sanctæque Christi Ecclesiæ.

A. iij.

Caput decimumnonum.

Caput decimumnonum habet epinicion, quod tota illa numerosissima piorum corona in cœlum recepta cant maximo concentu ipsi Deo, propter eius iudicia iustissima in meretricem illam magnam Romanam, siue bestiam, & Pseudopropheta, qui cum suis ausi sunt bellum inferre Filio Dei Regi regum, & Domino dominantium. Breuiter etiam fit mentio nuptiarum Agni, & vxoris eius omni diuino ornatu comptissimæ.

Caput vigesimum.

Caput vigesimum breuissimè multa complectitur: summam scilicet quandam eorum omnium, quæ dicta fuere toto libro, in memoriam reuocat (Ecclesiæ Christianæ conditionem in hoc mundo beatam in medijs persecutionum agitationibus propter Christum, beatissimam autem die ipso iudicij, & postea in æternum) & quædam alia addit. Ergo versus tres primi feliciora illa secula Ecclesiæ Christi depingunt cum non esset adhuc profusus extincta Dei veritas, & maneret ministerij Ecclesiastici sacrosancta forma aliqua. Propterea dicitur toto illo tempore victus fuisse Satan: quod comparatè dictum intelligi oportet. Ideo additur, vt non seducat amplius τὰ ἔθνη ipsas Gentes (quas scilicet effrænatissimè omnes varijs erroribus deludebat ante Euagelij prædicationem) donec cõpleantur mille anni. Et si enim non defuerunt sui singulis Gentium toto illo tempore Ecclesiæ nauis, hæretici quoque turbarunt eas & multorum fidem labefactarunt, persecutorum etiam gladius Christi greges & dispersit & imminuit: non absurdè tamen dicitur victus fuisse toto illo tempore Satan, præ impotenti illa tyrannide, quam vsurpauit per Romanum Papatum, cum extincta Dei veritate, Pastoribus in fures & latrones & lupos mutatis, licentiosissimè exultauit, quasi ruptis, inquam, omnibus vinculis exiit ferocissimus, toto impetu irruit in Ecclesias, & grassatus est pro omni ingenij sui prauitate, & crudelissimè & vaferrimè pietatis aliqua specie artes suas fucans, & sacrorum nominum larua turpitudinem infinitam velans, denique lucem pene omnem sic vertens in tenebras astu incredibili, vt in magna omnes cæcitate lucem sibi videre viderentur. Versus quartus vna eademque periodo comprehendit cruentas omnes persecutiones, quibus subinde variè afflictæ fuit Christi Ecclesia, ipseque Christus in suis membris, præcipuè tamen sub Papatu Romano: quorum omnium animas à se visas dicit Ioannes, migrantes scilicet è corporibus, cum pij illi sententia iudicum securi essent percussi. Vt autem vixit & regnauit cum Christo in his terris per fidem & spem tota Christi Ecclesia (quod & versus quintus confirmabat) sic præsentem regnaturam apud Deum in æternum dicit versus sextus. Versus septimus & octauus paucis attingunt vesaniam Turcarum, & variarum aliarum gentium, per quas, aut apud quas, aliter quàm per Romanum Papatum, vel deformatus est Christianismus manente aliquo eius nomine, vel ipsum etiam nomē crudeliter est extinctum, aut quoquomodo obsoleuit. Versus nonus prosequens, quod habebat finis versus octauus, miro verborum compendio perstringit, quod Ezechiel cap. 38. & 39. prolixè describit. Summa est (vt arbitror, & dictum velim citra cuiusquam aliorum sententiæ præiudicium vllum) Turcam, qui denotatur nominibus Gog & Magog, cum exercitu suo penè innumerabili ex varijs gentibus collecto, coniunctis etiam auxiliarij copijs non paruis, inuasurum sub finem seculi Iudæos in Christum credentes, & postliminio reuersos in patriam, ibique confidenter (sub Christi scilicet Iesu præsidio, ad cuius fidei cognitionem verissimam, sinceramque & apertam confessionem accedent, & adiungentur, vt est Rom. 11.) & securè habitates: inuasurum, inquam, Christi Ecclesias ex Gentibus & Iudæis sanctissimo consensu collectas: sed deletum iri totum Dei excelsa manu iustissimi iudicis, propitij & misericordis erga suum Israël, ideòq; potētissimè eum vindicatis, atq; liberatis. Versus decimus, diabolo, Bestiæ & Pseudoprophetæ, omnibusq; in vniuersum Ecclesiarum Christi peruicacibus aduersariis ignem æternum, & cruciatus nunquam finiedos, tum demum fore pronuntiat. Ideòq; reliqui quinque versus repræsentant summum iudicem in throno sedentem totamque iudicij rationem breuiter perstringunt.

Pars tertia, & vltima totius libri Apocalypseos.

Caput 21. & 22. tota versantur in descriptione cõsummatissimæ illius felicitatis piorum habitantium in cœlis post consummationem seculi huius. Propterea Ecclesia spõsa, vxorque Agni, depingitur sub nomine sanctæ vrbis Ierusalém cœlestis, cuius dimensioes omnes, murus, portæ, fundamēta, structuraq; tota mirifica varietate & opulētia delineatur, cum omnis suauitatis, & beatitatis perfectione, & infinitate in luce admirabili. Hęc est duorum capitum summa, nisi quod sexdecim postremi vers. variè rursus, vt initiū totius libri, prophetiæ huius fidē certissimā, autoritatē omni exceptione maiore, vtilitatē, necessitatēq; asserunt, & commendant. Nā & Angelus Ioāni id ipsum etiā atq; etiā cõfirmat: & Ioānes testatur hęc à se indubiè audita visaq; omnia: & Dominus ipse Iesus tum diuina subscriptione sua, tum horrenda cõminatione in sacrilegos sanctissimarum harum prædictionum temeratores, rata omnia facit.



PRIMA PARS LIBRI.

CHRISTIANO LECTORI S.



APOCALYPSEN S contextum totum inferere non placuit (etsi operæpretium fore, nec inutile fortasse quidam existimabunt) ne superuacuis sumptibus lectorem onerare viderer, sic excrecente libello & multiplicato paginarum numero. Ibi autem demum fecimus, vbi necessarium videbatur, & res ipsa prorsus exigebat: nempe in ipso libri initio, vbi eius asserenda erat autoritas: deinde in secunda parte, vbi comparamus inter se sigilla, tubas, & phialas. Collationis enim ratio tota vix aliter, ac ne vix quidem apparere poterat: in qua tamen posita est præcipua vis Apocalypses horum mysteriorum: vt merito possit dici clavis

quædam totius libri. Annotaueramus quidem nonnulla ad singulos penè versus Apocalypsis (sicut & sparsim non pauca obseruatu in primis digna in libris omnibus sacrarum Scripturarum) sed nunc edere non libuit.

Cæterum, quoties (vt modo dixi) instituti nostri ratio tulit, vt contextus totius alicuius loci legendus proponeretur, vulgatam illam veteris interpretis Latini versionem inferere placuit, non quia sit optima, sed vt hoc vnum saltem gratificaremur Romano Pontifici, Cardinalibus, Prælatibus, Canonicis, Sacrificulis, Monachis vtriusque sexus, Curatis & in genere clericis omnibus Romanensibus, coronam (vt loquantur) siue tonsuram habentibus, de quibus multò antequàm exorirentur depingendis, huius libri non minima parte agi videmus. Ergò nequid hic suspectum sibi esse dicant, nec Erasmica, nec Lutherani vllius hæc est versio, sed ea ipsa, quam pseudosynodus cecumenica, verissimè autem Romæ tridenti vel etiam tricipiti sacrosancta, mancipatâque, approbavit, & approbat. Legant ergò liberè, & respiciant à simulachrorum cultu, & omnibus operibus suis malis, vt seruiant purè S. D. N. Iesu Christo Regi regum, & Domino dominorum, vnico etiam totius Ecclesiæ vniuersalis, perpetuo, semper viuenti, semperque præsentî (vt dixit) Episcopo, ne iustissima eius ira opprimantur, & pereant tandem omnes.

PRIMA PARS, VBI IPSA INSCRIPTIO,

DE LIBRI HVIVS APOCALYPSIS

autoritate, & autore satisfacit.

VIDERI posset agi priùs debuisse de libri autoritate, quàm eius partiù vlla institueretur distributio. Atqui partitio ipsa partiùmque aliarum cum aliis connexio (qualis à nobis instituta & proposita fuit) magnopere iam valebat ad asserendam, sancientiamque sanctissimam libri non tantum autoritatem, sed etiam maiestatem summam prorsus. Præterea cogitavi magis apud eos mihi habendum sermonem, qui de libro sanctissimo minimè dubitantes, in optima sua sententia confirmari vellent, quàm qui ipsa perseveranti adhuc dubitatione, sacri huius thesauri irreuerentiam quandam, & contemptum præ se ferrent. Respondeat ergò ipse pro se liber: & nos legamus, exponamus, vel potius expendamus quod clarissimum est, neque eleuemus diuinorum verborum pondus hic planè grauissimum.

Apocalypsis Ioannis Theologi.

Cap. I.

1. Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus, palàm facere seruis suis qua oportet fieri cito: & significauit, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.

2. Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcunque vidit.

A. iij.

3. *Beatus qui legit & audit verba prophetia huius, & seruat ea, qua in ea scripta sunt: tempus enim propè est.*

Magno Satanæ astu factum fuisse non dubito, vt bonis etiam quibusdam viris obrepisse credatur dubitatio de huius libri autoritate. Prudentius verò & sanctius ab iis factum, qui sacrosanctâ eâ se habere professi sunt: quibus & ego non nunc primum assentiri cœpi. In ea enim semper fui sententia, sic etiâ intus dictante Spiritu sancto, cum hæc legerē ac relegerē sæpius adhibitis doctis & piis quibusdam expositionibus, quæ nobis penè pueris adhuc sub illa horrenda Romani Papatus tyrannide etiam & furtim legendæ suppeditabantur Dei prouidentia & singulari benedictione, quorundam etiam ministerio, quibus postea mundus magis placuit, quam Christus. Sic ergò statuo, lectu prorsus dignissimum esse librum: nec magis dubito eius scriptorem esse Ioannem illum dilectum à Domino discipulū, cuius & Euangelium habemus, & Epistolam longiusculam cum duabus aliis breuissimis omnino. Etsi enim styli dissimilitudo, fortasse quædam reperiri videtur inter hæc postrema, & illa priora eiusdem hominis scripta: quia tamen eius dissimilitudinis rationes optimæ afferuntur ab aliis, quas breuitati studens recensere ipse supersedeo, minimè debet leuissimus hic scrupulus nos remorari. Ego quidem certè Ioannis Euangelistæ & Apostoli genuinum sermonem hic quoque agnosco. Quod ad stylum etiam, inquam, & dicendi characterem attinget huius libri totius, magnam prorsus videtur mihi affinitatem habere cum Ioannis Euangelio, tribus etiam eius Epistolis. Agnosco enim vbique filiū tonitruī, vt eum cum fratre denominauit Dominus Iesus. Nam etsi mira spiritus mansuetudo apparet legentibus, in eo homine extitisse, & lene quoque ei fuit flumen orationis: simul tamen rerum multa, & nescio quomodo verborum quoque ipsorum fulmina sentiuntur quædam.

Ioannem ergo Euangelistam, eundemque Apostolum, vnum (inquam) ex duodecim illis, & inter duodecim vnum ex tribus illis selectioribus, & quos columnas quasdam Ecclesiæ nominari solitos scribit Paulus ad Galatas: illum ipsum Ioannem esse scriptorem Apocalypsis, indubitatissimum (credo) debet esse. Quis enim alius (quæso) Ioannem se toties nominasset, vno hoc in libro, nisi Ioannes aliquis notissimus omnibus Ecclesiis? certè quiuis alius Ioannes eo præsertim tempore scribens, non simpliciter se Ioannem dixisset, sed cum additamento aliquo, quod declarationis vice esset. Quod si excipiat aliquis, Ioannem Euangelistam & Apostolum non solere nomen suum edere nec in Euangelica historia, nec in tribus Epistolis, sed de se partim tacere, partim ex notis aliquibus modestè insinuare quis-nā sit: vt cum dilectū Domino discipulum se scribit, & eum qui in vltima cœna recubebat super pectus Domini: respondeo, hic quia incredibilia & horrenda omnia de Romano Papatu futuro scribere iuebatur ab Angelo Domini Iesu, & ab ipso Domino Iesu, ideò nomen suum solenni quodam modo inferere, & in ipsis libri initiis, & in extrema eius clausula. Facit ergo præter suum morem illud Ioannes, quia præter morem omnem Ecclesiasticum futurus erat Romanus Papatus totus. Ne, inquam, conficta potius narrare, quam reuera extitura prædicere videretur Ioannes (adeò erant inaudita hominibus omnia, monstrosa, tartarea, dæmoniaca, & Diabolica omnia) propterea ad certissimam omnium istarū rerum fidem faciendam, quod aliis in scriptis suis non consuevit, vt nomen suum exprimat, hic facere iubetur, vel certè ex re ipsa quodam modo cogitur.

De quorundam locorum libri obscuritate (totum enim librum obscurum esse falsò sanè & odiosè dicitur, cuius tam multa sunt apertissima, & ita clara, vt nihil clarius) dicitur à nobis suo ordine, quod Deus dabit. Iam nunc tamen duo meritò affirmare ausim. Primum obscuritatis totam culpam nostram esse: & potest quidem nobis Dominus idem exprobrare, quod discipulis, cum non intelligerent illud, *Cauete vobis à fermento Phariseorum, Nondum intelligitis, neque meministis duo illo miracula quinque panum & septē panum? Quomodo non intelligitis, me non dixisse vobis de pane, vt caueretis à fermento Phariseorum?* Neque enim Erasmo assentiendum est scribenti contra apertissima Euangelistæ verba, noluisse Dominum illud tunc intelligi à suis. Nos etiam (inquam) si bene semper meminisset plurium locorum veteris & Noui Testamenti, vel clariùs scriptorum, vel etsi obscuri videntur ipsi quoque, explicatorum tamen antea à nonnullis, faciliora quoque intellectu reperirentur nobis eorum quædam, imò multa, quæ in Apocalypsi intricatiora putamus. Deinde, quòd ad aliquam tantarum rerum explicandarum & enucleandarum difficultatem ita animum despondent quidam, vt legendi postea consilium omne abiciant, quasi nauseabundi: id verò non paruum vitium est, & cuiusdam etiam contemptus rerum sacrarum indicium. Potius enim eò magis nos ad earundem rerum subinde repetendam lectionem & meditationem cum reuerentia, & inuocatione nominis Dei, expergefieri decebat. Vt sit etiam, quæ non intelligimus tota in sacris, veneranda tamen semper nobis esse debuerunt. Sic quippe Daniel sanctissimus propheta,

pheta, etsi nondum plenè intelligebat, quæ de septuaginta annis illis per Ieremiam Prophetam prædixerat Deus quorsum spectarent, non minùs tamen studiosè ea legebat, & pia mente complectebatur. Imò inter multa illa, quæ visionibus illis mirificis & diuinis à Deo audiebat, ipse profitetur quædam sibi non fuisse prorsus perspicua omnia cap. 8. v. 27, & cap. 12. vers. 8. & eosdem tamen sermones minimè dubium est seruasse in corde suo, vt dicit in fine cap. 7. Sic etiam sancta Domini mater scribitur conseruasse omnia, quæ de puero Iesu dicebantur, & studiosè alia cum aliis cõparasse in corde suo, Luca 2. vers. 19. Rursus & eum sermonem Domini Iesu pueri adhuc duodennis, An nesciebatis in iis, quæ Patris mei sunt oportere me esse? etsi non intelligeret, omnia tamen hæc verba conseruabat in corde suo Luc. 2. vers. 51. Nos ergò tam Danielis, quàm Mariæ exemplo, & miremur hanc sanctam Apocalypsin, & contremiscamus ad tantorum mysteriorum auditum, horrendasque iudiciorum Dei denunciations, nec minùs tamen omnia amanter legamus, quippe qui sciamus in vtilitatem & consolationem nostram scripta, etsi nondum omnia speciatim nobis sunt exploratissima.

Verf. 1. *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit ipsi Deus, &c.*

Dixerat ipse Dominus Ioannis 16. v. 12. Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam, sed nunc non potestis portare. Quum autem venerit ille, [id est] Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, non enim loquetur à seipso, sed quæcunque audierit loquetur, & quæ ventura sunt renuntiabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, quod renuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater mea sunt: propterea [illum] dixi de meo accepturum, quod renuntiabit vobis. Quibus verbis non dubito, quin ea potissimum intelligat (etsi alia non excludo ad communem & ordinariam docendi rationem, & Euangelij substantiam, ac summam ipsam pertinentia) quæ de variis Ecclesiæ temporibus reuelata voluit Ecclesiis, Ecclesiarumque pastoribus in hoc Apocalypseos libro. Etsi enim quædam eò spectantia dixerat in genere Christus, præmonueratque Apostolos: plura tamen numero sunt, & expressiora, ac magis in specie, quæ postea exposuit ipsis cum iam in cœlum ascendisset: vt quæ 2. Thessalon. 2. à Domino accepta scilicet tradit & prænuntiat ventura Paulus: & 1. Timoth. 4. Spiritus (inquit) disertè dicit fore vt posterioribus temporibus, &c. quod bene conuenit cum illo Domini sermone, cum venerit ille Spiritus veritatis, &c. quæcunque audierit loquetur, & quæ ventura sunt renuntiabit vobis. Similia sunt quæ 2. Tim. 3. & 2. Petri 2. & 3. & quæ 1. Ioann. 2. de aduentu Antichristi licet breuiter dicta legimus. Quæ enim eodem tenderent, quò ea quæ habentur in Apocalypsi, non dubito audiisse ex Domino ipsum etiam Paulum, licet alia forma aliisque verbis. Optimè verò conuenit hoc initium Apocalypseos, vbi dicitur Deus dedisse Iesu Christo rerum illarum notitiam, vt ipse eas indicaret seruis suis, cum illo Domini dicto, Omnia quæ habet Pater mea sunt: propterea dixi [Spiritum] de meo accepturum, quod renuntiabit vobis: item quod est hîc Apocalyp. 22. v. 16. Ego Iesus misi Angelum meum, vt hæc vobis testificaretur in Ecclesiis. Obserua verò quæ Pater nouit, & reuelat, eadem dici non minùs Filio quàm Patri notissima esse: & ea ipsa Spiritum quoque disertè dicere, quia vnus scilicet Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: & tamen rationem haberi tam ordinis personarum in diuinis, quàm & officij mediatoris in Filio & legationis à Patre acceptæ.

Verf. 3. *Beatus qui legit.* Significat præ ingenti numero pereuntium in crassa ignorantia, & abyssò infinita scelerum, filiorum scilicet huius mundi omnium, visum iri exiguam multitudinem piorum Dei cultorum, qui sese puros seruent ab inquinamentis huius mundi, Satanæ imposturis & illecebris præstigiarum Antichristi: quemadmodum & cum Dominus dicit Matth. 11. vers. 6. & Luc. 7. vers. 23. Et beatus est, qui non fuerit offensus in me, significat nò paucos fore, qui in ipso scandalizabuntur. Cæterùm vtrobique, & hîc, inquam, & apud Euangelistas, ad Christum alliciuntur magnis planè promissis omnes, cum beati fore denuntiantur, qui non offensi fuerint in Christo, qui scilicet seruarint verba prophetiæ huius. Conueniunt autem planè hæc cum verbis Domini Matt. 24. v. 19. Et nunc offendentur multi, & alius alium prodet, &c. sed qui sustinuerit ad finem vsque is seruabitur. Eadem verò sententia repetitur cap. 22. vers. 6. 7. 16.

Verf. 4. *Ioannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia.*

Et hæc quidem tantùm de prima parte Apocalypseos annotare nunc libuit, tum iis de causis, quas antea dixi, tum etiam quia nihil aut minimùm difficultatis habere videtur. Iam ergò ad secundam libri partem transeamus.

Notandum quòd scribit ista propriè Ecclesiis Gentium Ioannes, non Iudeorù. Iam scilicet excisa à Vespasiano Ierusalem & regione tota vastata, Iudæis autem miserimè ac ignominiosissimè exulantibus errantibusque, præter infinita millia quæ crudelissimè cæsa fuerant in ipsa vrbs obsidione, oppugnatione, & expugnatione. Ne verò putarent Ecclesiæ gen-

tium, se fore malorum expertes, & quidem ingentium malorum, horrendarumque calamitatum, prædixerat Dominus (vt prius attigi) Matth. 24, & similibus locis apud alios Evangelistas, ante diem consummationis seculi, multa perpeffuros suos vbiq; fideles, & rerum conuersiones insperatas, easque luctuosissimas impendere toti mundo, & modò his, modò illis populis, quæ apud Lucam, cap. 21. vers. 24. dicuntur tempora gentium. Hæc ergo Ecclesiis gentium totis, & singulis fidelibus cogitanda fuerunt cum precibus, & sollicito pietatis studio, quia subinde sentienda, & experienda illis erant. Nec tacuerat metuenda in primis à variis hæresibus, versipellique pseudoprophetarum astu pericula Dominus. Sed illa in genere quodammodo omnia simul & vniuersaliter complectebantur ipsi sermones Domini adhuc in terris agentis: in quibus tamē admonitio de Antichristiana defectioe continetur & ipsa, sed tanquam species quædam præcipua sub ipso genere. Verum oportuit iis de causis, quas alibi dixi, Ecclesias gentium præcipuè (quanuis & electis Iudæis id quoque vtile futurum erat) præmoneri certius, specialius, longiorique sermone, de ipso Antichristo, totaque eius factione: non tanquam de speciali quadam hæresi, aut omni ex parte ac prima fronte apertissima quadam blasphemia, sed vt de ea hæreseon omnium colluie, quæ genus totum sit quodammodo, at per ambages & sinuosos flexus sese complicans & occultans, vipereus scilicet partus serpentis illius vetusti. Oportuit præmoneri, inquam, de toto illo mysterio nefandæ iniquitatis Ecclesias gentium, cõtra quas, & in quibus exstiturum illud erat. Id autem præstitit ipse Dominus Iesus multis etiam post annis, quàm in cælum ascenderat: præstitit scilicet in hac sancta Apocalypsi loquens Ioanni. Præstitisse dico, quia oportuit: & tamen ideò oportuit, quia voluit sic ipse, mera prorsus gratia salutarum suorum semper amantissimus. Hoc, hoc, inquam (vt & antea dixi) prorsus est argumentum præcipuum, & pene totum huius Apocalypseos. Etenim si illa tantum quæ primis tribus capitibus habentur, moneri voluit Ecclesias filius Dei, potuit fieri per ordinarios ministros, qui tum præsentibus agebant apud suam quisque Ecclesiam, vel sine extraordinaria aliqua visione, epistolis per Apostolum ad Ecclesias scriptis, id expediri potuit, & confici: nam propemodum attingit res solum apertas, vt passim Paulus ad Ecclesias scribens, & tamen prophetias quasdam de rebus futuris habet Paulus in epistolis, vt & Ioannes in hac prima libri parte. Sed tota illa ecstasis sanctissima Ioannis non aliò spectabat præcipuè, nisi vt de Romani Papatus futuri tyrannide, & Antichristi intrusione, reuelationeque multò antè certiores faceret Ecclesias Deus, & Dominus Iesus, augustiore etiam quadam rerum, & verborum, & sententiarum figura, quàm sint iisdem de rebus sermones quidam in Pauli nonnullis Epistolis.

Porro præter alia multa argumenta inuictissima, quæ aduersus Papatum Romanum afferre solent nostri homines, vnum hoc etiam addi posse mihi videtur, ex hac diuina Apocalypsi peritum. Dominus Iesus filius ille Dei vnigenitus, Agnus qui tollit peccata mundi, qui nos liberat ab ira ventura, Episcopus ille animarum nostrarum, qui cum suis est vsque ad consummationem seculi, ille ipse è cælo vbi sedet ad dextram Patris, per Ioannem seruum, & Apostolum suum, scribit ad septem Ecclesias Asiæ, & sub illarum nominibus ad omnes in vniuersum Ecclesias, quotquot iam tum erant, vel nunc sunt, aut erunt vsque ad finem mundi. Eas ipse tribus primis capitibus libri, laudat, docet, reprehendit, consolatur, minis etiam vrget: & miris planè, sed omnibus verissimis promissionibus excitat. Ibi ne ipsius quidem Petri vlla mentio, nedum vt Petrus Romanus Põtifex nominetur, cui omnes totius terrarum orbis Ecclesias subiici parere, & obedire oporteat, & ab ipso tanquam ministeriali capite Ecclesiæ solo administrari, quia cunctos Ecclesiarum Pastores, & rectores, ab eius nutu pendere necessarium, vel vtile sit, quippe qui vnus summus Christi sit vicarius. Non laudat quasdam Ecclesias Christus, quòd Petro Romano Papæ humiliter sese subdant: non increpat alias quòd Petri Romani Episcopi iugum subire detrectent: non monet omnes, vel vllas omnino, vt vnionis sacrosancta vnica sit eis via, & ratio, respicere in Petrum iam ex vrbe Roma præsidentem gregi Christiano toti, quantus quantus est in vniuerso terrarum orbe. At dicit aliquis, Meritò sanè tacetur hîc Petrus quia iam viuere desierat in terris. At saltem earum Ecclesiarum factum comprobaret Dominus his Apocalypseos initiis, quæ pronæ oscula pedum subissent antequàm moreretur, & dum Romæ sedebat triplici tiara ornatus. Saltem rursus Dominus de cælo loquens, Ecclesiis suis commendaret vt Romanum Pontificem, qui Petro primus successerat, vel secundus, adorarent. Sed hîc deprehensi tenentur adultores Romani Sardanapali. Quomodo enim æquum fuit, mortuo Petro, alium aliquem Romanum Episcopum esse caput ministeriale in terris omnium Christi Ecclesiarum, viuente adhuc Ioanne, vno ex duodecim, & quidem primario (vt ita dicam) Apostolo? Cui, inquam, post Petri mortem, vel hic honos tribui, vel hoc onus imponi potius debuit, quàm dilecto Domini discipulo, & qui super eius pectus recubuerat. Intolerandum prorsus fuit, tantum Apostolum subiici vlli Episcopo Romano, præterquã Petro, nec eligi ipsum

ipsum ut esset caput ministeriale Ecclesiae totius. Nullane ergo, inquires, habetur ratio summi Pontificis Romani toto hoc libro valde Ecclesiastico? Imò verò & maxima quidē hīc habetur ipsius ratio, ad sceleris, scilicet eius detestationem omnem, & iustissimam hominis damnationem, ut mysteriorum secundae partis libri tota explicatio ostendit.

Et haec quidē tantum de prima parte Apocalypseos annotare nunc libuit, tum iis de causis, quas antea dixi, tum etiam, quia nihil aut minimum difficultatis habere videtur. Iam ergo ad secundam libri partem transeamus.



SECUNDA PARS LIBRI,

AD CUIUS EXPLICATIONEM ANTE-

*quam veniatur, satisfiit ijs qui obscuritatis vitium impingunt huic
sacrorum oraculorum Scriptura non minima parti.*



IDERI posset recta ordinis ratio postulare, ut antè dilueretur obscuritatis, & intricatae difficultatis huius libri probrum (ut ita dicam) quam eius partitio vlla fieret, & distributio in sua membra, aut sectiones vllas. Nos tamē aliam viam ingressi sumus non sine causa. Nam & illa ipsa totius libri diuisio à nobis allata, multum iam de ea, quae videbatur quibusdam esse, obscuritate detrahit. Et nos ut antè dictū fuit cum iis agere instituissemus magis, qui non dubitantes de libri auctoritate, non retinentur aliqua eius difficultatis specie, quin fructum ex eo maximum libenter capiant: quàm cum iis quibus semper propositū est vanos subinde

praetextus querere, ne apertissimae veritati huius scripti locū dent, quorū tamen morositas, ne aliorū vllis impedimento sit, refutatur. Nec verò eos multum iuuat vno verbo facta confessio, librum esse catholicum, canonicum, & orthodoxum: cum postea causati quae hīc tractantur omnia, res esse prorsus alta caligine mersas, non sustineant fructum ex eius lectione percipi, ad conscientiarum aedificationem.

Quia libri tota difficultas in hac secūda parte repetitur (patent enim prima, & tertia pars, neque aliquid habent quod pium lectorem remorari queat) idè in hunc locum differre visum est praecipua quaeque eorū, quae de huius sacrae scripturae obscuritate laborantibus, respondere datur nobis in Domino. Antea quidem nonnulla attigimus eò pertinentia: sed quasi obiter: nunc demum autem ex professo de re ipsa agemus.

Quòd conquerimur de libri huius obscuritate, non magno iure fit à nobis, ut ex re ipsa apparebit. Magna verò iniuria in Christum, fouemus hanc opinionem, & in ea immoramur. Magna, inquam, iniuria sic fit Christo huius Apocalypseos auctori, si non potuisse aut non debuisse intelligi putamus, quae eius iussu eoque dictante scribebat Ioannes, denique si sciri haec & percipi Dominum Iesum noluisse credimus. Mendacem quidem certè sic eum facimus: qua blasphemia, quid contumeliosius cogitari potest? Ipse scilicet toties & in libri initiis, & in ipsa eius conclusione testatus erit falsò, hoc libro comprehensa fuisse, quae innotescere voluerit omnibus Ecclesiis: falsò etiam adscripta fuerit exclamatio illa maximè pathetica, Beatus qui legit & [beati] qui audiunt verba prophetiae huius, & seruant ea, quae in ea scripta sunt: tempus enim propè est.

Ceterum, voluisse ipsum intelligi patet, vel ex ipsa prima visione, quae est capite primo, quam Ioanni exponit ipsemet, Candelabra aurea septem, dicens esse septem Ecclesias: septem autem stellas in manu sua, esse Angelos septem Ecclesiarum, addens etiā se eum esse, qui fuerit mortuus, nunc autem viuat. Si noluit intelligi, poterant haec omnia & similia, quae toto libro occurrunt, taceri, & nudissima quaedam visio proponi, minimèque vestita istis omnibus indiciis, quae ad magis familiarem rei totius notitiam deducunt. Hīc verò mihi venit in mentem, quàm sit potens praesumpta semel opinio, etsi à vero aliena, & quàm cupidè,

quæ ad eam tutandam facere nobis videntur, soleamus vndique congerere, & quomodo-
cunque corradere. Boni enim etiam quidam viri, iidemque eruditionis, & doctrine eximie
approbant primùm quasi à Caluino, deinde vt non minùs vrbane, quàm prudenter di-
ctum (nescio ex quorum hominum relatu) de hoc Apocalypseos libro, & eius scriptore, se-
penitùs ignorare quid velit tam obscurus scriptor, qui quis, qualisque fuerit, nondum con-
stet inter eruditos. Ego verò optimè quidem certè memini, & recordor, cum aliquoties in
eum Caluinus incidisset sermonem, mentio (inquam) fieret Apocalypseos apud eum à qui-
busdam familiaribus, me quoque præsentem, longè aliam fuisse eius sententiam de sanctissi-
mo hoc libro, quàm fortassis eo nunc mortuo aliqui in aliorum aures infusurent. Non ne-
go rogatum nonnunquam à fratribus quibusdam, vt Apocalypsin publicè exponeret, vel
in schola apud literatos, vel in templo toti Ecclesiæ, respondisse, nec dum à se totam intel-
ligi: quemadmodum & hac de causâ cum in sacris cõcionibus enarraret Ezechielis librum,
postrema quædam capita reliquit intacta. Ego verò non dubito, quin si vel maiore otio a-
bundasset (homo minimè quidem *πολυπραγμονεὺς* solitus, sed in Ecclesiæ & sacri ministerij
negotiis totus semper & semper occupatissimus) vel ei ad hũc vsq; diem viuere datum esset,
quanuis valdè afflictâ valetudine: non dubito, inquam, quin haberemus eximij illius serui
Dei in Apocalypsin, & in totum Ezechielem, aliosque nonnullos scripturæ libros, vtilissi-
mas lucubrationes. Certò quidem certius est illud, & piè & reuerẽter de hoc libro sensisse
ipsum, cuius & præclara testimonia citare solitus est tum in Institutione Christianæ reli-
gionis, tum in aliis quoque quibusdam scriptis suis. Sed vt ad id redeam, quod nobis erat
propositum, dico Dominum Iesum voluisse in suis Ecclesiis hunc librum intelligi, & singu-
lis quidem ætatibus postquam venerat ille Antichristus, potuisse & debuisse intelligi. Addo
& semper aliquos Christi fideles libri ipsius scopum intellexisse, & pleraque ad scopum de-
ducentia, atque ita libri ipsius lectione fuisse confirmatos in fidei sincera constanti cur-
su. Quòd autem necdum omnia intelliguntur non est in causâ, affectata aliqua vel rerum,
vel sententiarum, vel etiam vocum aut verborum obscuritas. Vt enim illud non admitto,
sed perperam dici credo, quod quidam scripsit, Sic quoque loqui scripturas sacras, vt inde
ocasio præbeatur hæreticis errorum suorum confingendorum: ita nec minùs mihi falsum
est, vel Apocalypsin, vel vllum prophetarum librum, ex professo, & data opera obscure
scriptum fuisse, ne posset intelligi. Contrâ, siue in parabolis, siue in visionibus, siue per som-
nia locutus est Deus, aut Christus, siue per Prophetas, siue per Apostolos, voluit sanè intel-
ligi: & quidem potuit, si non in totum, certè ex parte, & tamen sufficienter ab attentè legen-
tibus fidelibus. Vna ergò obscuritatis vel Apocalypseos vel veterum prophetiarum (præ-
sertim post ipsum rerum euentum) causa est negligentia & socordia nostra in assidue & at-
tentè legendis scripturis.

Quòd Apocalypsis difficultas, & obscuritas quosdam ab eius lectione vel absterret, vel
auocat, delitiæ sunt hominum, excusatione prorsus indignæ, imò detestatione etiam profe-
quendæ. Hoc vt demonstrarem, apparet quomodo ab aliarum complurium rerum inuesti-
gandarum magna auiditate, assidua sollicitudine, & pertinaci labore, nulla eos difficultas ar-
ceat: non suarum rerum iactura, non molesta temporis longitudo, non vitæ periculum, non
sæpe frustratæ spes multis exantlatis laboribus. Non dicam tamen de stulta & puerili alchy-
mistarum infania, quorum posteri nec dum sapere didicerunt ex maiorum suorum tot, tan-
tis, & toties vanis compertis experimentis: sed perstant etiamnum se totos, suaque simul o-
mnia, sed multò magis aliena multa exhaurire, corradere, absumere, & abligurire, dum se
aurum creaturos miseri simul, & superbi confidunt, curiosi simul, & avaris, nimium-
que credulis persuadent, ita vt vidisse quoque se deierent, ineptissimi sapientes, quod visum
nunquam fuit. Sed illos omitto. Quanto autem labore per annos complures disci solita est
intricatissima illa, & spinosissima sophisticè non Theologiæ scholasticæ, imò ne technolo-
giæ quidem (hoc enim ipso nomine indigna est) sed matæologiæ, vt meritò sic iam plerique
eam vocitare cœperunt? In iure autem civili quos difficultatum anfractus non contendunt
superare vigiliis, & studiorum continuitate, qui hoc ipsum semel in animum induxerunt?
non inde eos abstrahunt longæ ambages tractatus substitutionum, non disputationes, de
mora & de eo quod interest distinctionibus etiam suis sæpe confusissimæ eos remorantur,
non sexcenta alia molesta, quorum vel minimum simile aliquid facit vt libros sacros sto-
machabundi continuò abiiciant. Canonistarum verò de Romano Pontifice, de præben-
dis, de collationibus, de appellationibus, de confessione auriculari, de electione, & electi
potestate, aliis quoque nugis infinitis immensas librorum, & voluminum moles versantium,
quis non demiretur infatigabile studium, cum interim tam pauci sacris seriò, & reueren-
ter, atque idèò vtiliter legendis ac meditando insistant? Quid autem dicam vel castelleti Pa-
riensis, vel vbiq; Pontificij fori (quam Ecclesiasticam curiam vocat) præter clamores con-
tinuos,

alchymiste.

tinuos, & sine intermissione vociferationes perturbatissimas, stratagemata innumerabilia, quorum monstrosa sunt propemodum nomina ipsa? & reperiunt tamen trica istae quae ceteruam in eo accurrant, his se illigent & inamorianantur, dummodo lucri captandi causa, & his vel illis diuexandis operam suam locent. Sed ipsius curiae Romanae, id est domus Pontificiae labyrinthos omnes quis extricare se posse non merito diffidat? Nam notariorum, protonotariorum, datariorum, copistarum, quis artes omnes, fraudes, technas, captationes percurrere queat? ut reliqua omitam: profus enim immensum est aliquid tota illa farrago nominum, quae totiam sunt laquei, hancque totidem inescandis hominibus. Appetuntur tamen inexpugnabili ambitione ab omnibus certatim: nec infustus & tragicus etiam quorundam exitus aliorum vesanam cupiditatem extinguit. Tantum ergo operae, temporis, & inuicis saepe industriae ponitur in hisce rebus omnibus: sacra autem prophetarum oracula, diuinaque haec Iesu Apocalypsis, quia non perinde patent, ut Cato pro pueris, protinus facessere iubentur, aut saltem longum somnum dormire sinuntur, siue squalidi, & puluere obsiti in bibliothecis, siue etiam multa cura nitentes per vanam ostentationem potius quam sanctam admirationem, inaurati hi sacri codices. Vae ue nostrae desiderii, somnolentiae, morositati, & ingratitude. Mirum enim est, imò monstrosam profus (libens verò, nec sine causa repeto) conqueri aliquos de obscuritate Apocalypsis, & propterea fastidire libri lectionem omnem, quasi interim Missae mysteria, purgatorij descriptionem, beneficiorum collationes, totum ius Canonicum, totamque scholasticam Theologiam, relationes, quidditates, realitates, & similia infinita, quae latentur esse intricatissima, non soleant plerique magno labore discere, & gloriabundi magnifice praedicare. Sed haec quae spectat ad salutis cognitionem, securè praetereunt, & aspernantur ferè omnes.

Et quidem cum dicit Dominus in Euangelio, Quando videritis abominationem desolationis, de qua Daniel, stantem in loco sancto (Qui legit intelligat) &c. non significat non posse intelligi illud Danielis propheticum, sed denotat multos fore contemptores, qui lectionem sanctae prophetiae aspernantur, & negligant, qui terrae huic & mundo afixi, de sacris ne cogitent quidem, vel qui oscitanter tantum, & nonnunquam ea legant veluti otij fallendi causa, idèoque ad verum & serium fructum inde percipiendum non assurgant. Tacite etiam monet, studio, diligentia, desiderii ardore, precibus ad Deum, & reuerentia doctrinae eius, opus esse ad meditationem verbi Dei, & inuestigationem mysteriorum eius, si nolumus nobis esse infructuosum.

Dicuntur sancti olim Prophetæ, de salute, quam nobis attulit Christus homo factus, mortuus, & à morte rediuius pro nobis, non tantum inquisisse, sed & perscrutati esse scrutantes, &c. sic enim loquitur Petrus. Dominus etiam in Euangelio scrutari nos iubet scripturas, & pronuntiat non irritum fore nostram studium, si illic ipsi quærimus in vitam: quia etsi veluti absconditus quidam thesaurus est, sese tamen certissimo & minime dubio intuitu conspiciendum praebet, reuerenter & solite quærentibus. Ita quidem coram se Iesum Christum toto hoc Apocalypseas libro nobis loquentem, fide intuemur, & audimus, attendimusque, si eundem sese nobis magnificentissima quadam varietate potentiae, sapientiae, bonitatis, & roboris inuictissimi, describentem reueremur & admiramur supplices, si eum ipsum veluti sua per vestigia sequimur, se suosque expressissime discernentem ab Antichristo & Antichristiana tota turba: quae difficillima percepta videbantur, patebunt sanè tandem sic quærentibus & perscrutantibus nobis. Hic enim quoque verissimum est illud ab Augustino olim dictum, dum sancta spectacula sanctarum scripturarum nominans typos omnes siue rerum, siue verborum, visiones etiam admirandas (quibus nobis salutis author, praeses, & protector depingitur ad viam Christus sub miris quibusdam, & sanctissima semperque veneranda iucunditate perf. sis inuolucris) addit non minus scite, quam pie: Christus mihi vbiq; illorum librorum, vbiq; illarum scripturarum peragranti, & anhelanti in sudore illo damnationis humanae, siue ex aperto, siue ex occulto, occurrit & reficit: ipse mihi & ex nonnulla difficultate inuentionis suae desiderium inflamat, quò id quod inuenero auidè forbeam, medullisque reconditum salubriter teneam. Nullum ergò sydus nautis in medio mari laborantibus tam certum vitæ indicium praebere potuit, quam Christus stella illa splendida & matutina (ut se ipse in fine libri nominat) percurrentibus nobis, & indagantibus horum mysteriorum penitissimos recessus subinde occurrens, dux erit fidissimus. Vna etiam aliquando circumstantia rei ipsius sufficere potuit ad referendam nonnullam coniecturam certò diuini alicuius mysterij. In hac autem sanctissima Apocalypsi cum mysteria non tantum circumstet Christus, sed etiam singulis penitus insit, & praesit quoque, caelitus Ecclesias uas alloquens, vna sanè eius persona, vnumque eius nomen sanctam statim suspicionem

rei latentis iniicere debet legentibus nobis. Videmus Jacob patriarcham in filij somnio de sole, & luna, & vndecim stellis ipsum adorantibus, minimè ambigere quid sibi velit. Numerus enim vndecim, cum filiorum duodecim aliquis esset Ioseph, statim suggerit, quod ipse Iosephum increpans in gratiam fratrum interrogat, Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te? Quid ergò hîc nos? cum toto (inquam) libro præter Christi præcipuam auctoritatem (quæ rerum ipsarum monitrix debet esse instantissima) tot tantæque circumstantiæ congerantur, & quasi vtrò etiam ipsæ concurrant: an dicemus nos hîc tamen cæcutire semper, & quasi per ambages quasdam circumducemur incertas, obsurdescemus propemodum stomachabundi?

Quòd si obiiciet aliquis, molestia tamen non carere multa eam lectionem, quæ quatumvis indagantibus, & pluraque intelligentibus, difficultatem semper non parvam in aliis quibusdam postea relinquat: respondeo, non minùs saltem hîc patientia, & perseveranti modestia, quæ molestiam omnem absorbeat, opus esse, quàm qua videmus fuisse Iacob patriarcham in in filij somnio. Etsi enim coniectura aliquid statim assequitur, rem tamen totam dicitur postea obseruasse etiam. Sic verò nos de cet, ea quoque, quæ hîc intelligere nobis videmur, & intelligimus quidem aliqua ex parte, magis ac magis perpendere, & ad examen seriò reuocare cum timore Dei, reuerentiâque ipsorum mysteriorum, & spiritualis profectus assiduo desiderio. Porro rerum saltem ipsarum euentus, & publica diuturnaque experientia, quæ hîc multò antè describebantur, & prædicebantur futuræ, omnem excusationem, & obscuritatis prætexendæ tollit occasionem. Videns sanè fratres post longum temporis interuallum sibi supplices, dicitur Ioseph recordatus somniorum, quæ somniauerat de eis. Etsi enim toto intermedio tempore non penitus contempserat sacra illa & vetusta sua somnia (quæ totidem erant diuinæ prophetiæ) nec eorum memoriam omnem abiecerat, non tamen eorum memor fuerat quantum decebat. Rei autem conspectus præfens excitat & renouat rei attentionem, & diuinæ in ea prouidentiae reuerentiam. Sic & hodie sacrosanctæ huius Apocalypseos auctoritatem, fructum, intelligentiam, meditationem, vsumque quotidianum confirmare in animis nostris debet, ipse intuitus horrendæ dissipationis Ecclesiarum in omnibus Romani Papatus templis, & ipsa Romani Pontificis curia per tot annos.

Sed quid pluribus opus est? Ipsum nomen Apocalypsis, rem non esse obscuritate inexpugnabili implicitam vociferatur. Alioqui enim *Ἀποκρυψις* potius, aut *ἀπόκρυφον* aliquid debuit dici totum hoc scribendi genus. Iam nisi falsò Apocalypsim eam inscripsit Spiritus sanctus per Ioannem (quod vel cogitasse, impium est prorsus) res sanè absentes adhuc, & latentes in mysterio iniquitatis Diabolicæ, aperiebat ac detegebat, ac quasi iam præsentibus fitebat fidelium mentibus conspiciendas cum horrore. Eisdem ergò nunc præsentissimas, & in omnium oculis positas quomodo liber hic occultare, vel obscurare, & ambiguè dicere existimari poterit? Cum urbem magnam illam nominet, quæ habet regnum super reges terræ, cum septem in ea montes, an non satis nominat Româ, licet pluribus syllabis, quàm Romæ ipsum nomen? Deinde cum mulierem quidem figuratè dicit, sed addit amictam purpura & cocco, & inauratam auro & lapidibus pretiosis, & margaritis: nisi apertissimè depingit nobis Romanam sedem, meretricem scilicet illam magnam, quæ sedet super aquas multas, id est populos, turbas, gentes, linguas: prodeat saltem interpres quidem proprius ipsorum Propheta, cuius sunt hi versus de Papa Romano cum suis Cardinalibus, maxime seriò scripti.

Appenninicola accurrunt, visoque senatu

Reptantes genibus per humum NOVA NUMINA ADORANT. Item.

Iamq, dies aderat, mediunq, vehebat ad axem

Omneis conspiciens Phœbea lampadis astrum:

Obsedere Patres maioris limina porta,

Qua modò Felsinea Pastor requieverat ade.

Porticibusq, amplis expectant NV MEN Iuli,

Tandem de thalamo sella sublimis eburna,

Gestatusque hominum scapulis longo agmine prodit:

Cui trabea ex auro, gemmis, ostroque coruscet:

Tempora conchili fulgent redimita tiara.

Progreditur, proceres, legio, sua Felsina proles,

Aerataq, ruunt acies, clypeataq, circum

Agmina funduntur, placidos dat curia gressus.

Equati spatijs omnes, & vestibus omnes:

Purpureisque Patres tecti capita alta galeris,

Obuia

Obuia quæq; oculis præstringunt N V M I N I S inst. ar.

Vifendi studio effusi iuuenesq; senesq;

Et patres pueriq; simul reëta omnia complent:

Culminibusq; astant, portisq; & turribus hærent.

Porro quòd Papam Romanus Cardinalis Pastorem nominat, mendaciter facit & adulatoriè. Neuter enim eorum Pastor erat in Ecclesia, etiamsi nonnunquam philosophi, aut alioqui boni viri habitum præ se ferret eorum alter. Nos ergo Pastorem illic dici Romanum Papam intelligamus eo sensu, quo Ædificantes nominantur in Psalmo, ij qui reprobauerunt lapidem, qui factus est in caput anguli. Faceti homines dicerent Papam Romanum esse pastorem, non aliter, quàm ille videbatur esse filius primogenitus, secundum carnem, de quo dicit Pater Isaac, Vox, Vox Iacob est: & manus, manus Esau. Sed nos extra iocum simplicius & robustius dicemus, quemadmodum hæc Apocalypsis loquitur, Papam Romanum idèò nuncupari aliquando Pastorem καὶ ποιμαίνων, quia habet duo cornua similia Agni, licet loquatur vt draco.

Cæterùm non dubito cõpertissimum fuisse Ioanni, in omnibus, quæ hîc ei reuelabatur, cõmonstrante etiã & eũ cõmonente Angelo, agi de Antichristo (licet nõ nominetur Antichristus toto libro) ostèdique Romæ fore illũ filiũ perditionis, & hominẽ peccati, vt eum Paulus nuncupat. Certissimũ etiã mihi quidem est, hæc ipsa, quæ literis mandabat Ioannes legenda in Ecclesijs, & à singulis quoque priuatim fidelibus, eum ore ipsum suo præsentem nonnullis, & fortasse multis etiam, prout res dabat, exposuisse, & enodasse. Quis etenim credit sanctas illius temporis Ecclesias (eas præsertim, quibus iste liber inscribitur) & cordatos fratres, istarum rerum vtilissimè cognoscendarum desiderio non aruisse? Ergò quòd Paulus de se & de Thessalonicensibus fidelibus, ad Thessalonicenses scribens, pronuntiat (de Antichristo scilicet loquens) An non meministis me, cùm adhuc essem apud vos, hoc dixisse vobis? Nunc verò quid obstet nostis, vt is suo tempore retegatur: idem nobis cogitandum est de aliis primæuis, & illius felicissimi seculi tũ Ecclesijs, tum eximijs Dei seruis. Hæc inquam, tunc peruulgatissima fuere, non stulta curiositate, sed constanti simplicitate, & sancta simul auiditate earum rerum indagandarum, quas Deus ad præcauendum, multò antè innotescere volebat. Rursus dico: de his Antichristi venturi horrendis portentis communes ea ætate fuerunt, medijs in Ecclesijs sermones: sed paulò post obsolescere cœpit, & in desuetudinem abire, aut etiam vel affectato, vel quomodocunque ingrato silentio sepeliri tam necessariæ rei expressissima, clarissima, & frequēs, assiduâque admonitio: quemadmodum scilicet hisce paucis annis non pauca degenerare videmus in celebrioribus & purioribus Christi Ecclesijs. Quòd si quærit aliquis, quomodo verò coniecere tum quisquã potuerit, Antichristum Romæ aliquando exoriturum: in promptu est respõsio, hoc ipsum sanctum Spiritum reuelasse sanctis Christi Apostolis non obscure. Idèò & Paulus i. Tim. 4 sic exorditur de ea re sermonem, τὸ ἅγιον πνεῦμα ῥητὰς λέγει, Spiritus autem manifestè dicit & disertè. Item 2. Timot. 3. τὸ ἅγιον πνεῦμα, Hoc autem scito. Significat quippe non esse harũ rerum futurarum verisimilitudinem tantũ aliquam, incertam suspicionem, aut quasi dubiam coniecturam, sed exploratissimam planè scientiam. Quòd, inquam, Paulum videmus ex Spiritu sancto habuisse, certissimum est minimè ab eodem Spiritu celatos fuisse alios Apostolos. Hic verò videmus Ioanni fuisse hoc totum patefactum, & Angeli ministerio, & ipsius Christi præsidio in visione præsentis.

Sed præter hæc extraordinaria Spiritus Dei instrumenta (vt ita dicam) addo ordinariam quoque sanctis Apostolis, Euangelistis, aliisque fidissimis Ecclesiarum ministris, & assiduam fuisse curam istarum rerum sæpius meditandarum, vt & aliarum partium sui ministerij. Vt ergò Petrus in visione illa, quæ est Act. 10. primò quidem ambigebat quòdnam esset visum illud, quòd viderat, sed eodem momento aduentus nunciorum Cornelij, & Spiritus sancti responsum dubitationẽ ei omnẽ eximit: sic & Ioannes in hæc Apocalypsi, quæ audiuerat & sciebat certissimè à Christo spiritũque eius omnia profecta concoxit etiam apud se quotidianæ meditationis perugili cura. Notandum etiam, quòd vno eodẽmque die Dominico hæc omnia sanctissima visa vidit Ioannes, & sine vlla interruptione. fuit enim actus continuus. Non parum verò faciebat hæc circumstantia ad visionum sensum & scopum inuestigandum & reperiendum. Valde ergò verisimile saltem est, Ioannem ipsum hæc inter se postea etiam contulisse, & visiones has omnes, priores scilicet cum postremis, & medijs diligenter, & reuerenter coniunxisse, comparasseque, vt de earum sensu certissimo, quem ex Angelo audierat, magis ac magis animum suum confirmaret. Cæterùm hinc apparet (vt obiter quoque hoc notemus, quòd tamen ad rem maximè facit) quàm parum prudenter sapere censendi sint, qui sic volunt exerceri ministerium Ecclesiasticum, vt

nulla Antichristi fiat mētio, nullæ, vel frigidissimæ tantum, audiatur in concionibus ad fide-
 lium gregem admonitiones contra Romanum Papatum. Matres scilicet nostræ Apolto-
 licæ Ecclesiæ hæc nouerant, meminerant, de his rebus loquebantur maximo cum fructu,
 cum precibus, & gratiarum actione ad Deum. De his rebus, inquam, frequens erat tum ser-
 mo, cum adhuc absentes essent. Nunc verò cum sunt maximè præsentēs, cum Antichristus
 Romanus ceruicibus nostris omnium imminet, iugula etiam ferox premit, & sanguine o-
 uicularum Christi modò hîc modò illic sese inebriat, nullo sexus, nullo ætatis habito dis-
 crimine: silebimus scilicet, & nefas propemodum erit Antichristum eum nominare. Ita sa-
 nè tacebimus fortasse, quemadmodum ille multò ante nostram ætatem, cum exclamasset:
 Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicariis tuis, qui videntur regere populū tuum,
 Heu, heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Eccle-
 sia tua gerere principatum: arcem Sion occuparunt, apprehenderūt munitiones, & vn iuer-
 sam deinceps liberè & potestatiuè tradunt incendio ciuitatem, &c. subiicit cum falsissima
 & amarissima ironia, Hoc videt Christus, & silet: hæc Saluator patitur, & dissimulat: pro-
 pterea dissimulemus & nos quoque necesse & sileamus interim, maximèque de prælatis no-
 stris magistris Ecclesiarum. Sic nimirum, sic placet & ipsi, vt euadant nunc humana iudi-
 cia, veniatque semel iudicium graue iis qui præsumunt, & potenter patiantur tormenta po-
 tentes. Aut quemadmodum idem ille de vrbe Roma Romanæque Pontificis curia loquens,
 Dicerem si auderem (inquit) Dæmonum pascua sunt hæc, non ouium. Item de ipso Ro-
 mano Pontifice, Simonis magi, non Simonis Petri successor es. Quemadmodum, inquam,
 illa tunc egregiè prorsus (pro mensura fidei suæ: fuit enim tenebrosissimum seculum) &
 sanctissima libertate dicendi: sic & nos postquā grauitè, & sancto Dei zelo, genuinòque
 amore ouium Christi, dixerimus, pièque & ad ædificationem fidei, quæ de Romana syna-
 goga, magnæque illa Babylone sanctissimus hic iubet nos dicere liber, dicamus nos sile-
 re & dissimulare omnia: dicamus si auderemus, ea nos dicturos fore omnia, quæ diximus.
 Quòd verò nonnullos malè habet, nomen Antichristi toto hoc libro non reperiri ad ma-
 iorem & apertiore rei expressionem: respondeo, iniquissimè verò agere eiusmodi ho-
 mines cum Deo, quem non sustinent ea facere & dicere, quæ solus nouit esse optima, sed
 libenter vellunt à seipsis Deum sumere loquendi etiam modum & rationem. Nobis verò sa-
 tis esse debet, quòd significantius etiam Antichristum dixit, & magis graphicè Romanum
 Papatum nobis depinxit, quàm si ipsum Antichristi nomen posuisset. Bene autem res ha-
 bet, quòd idem ipse Ioannes huius libri scriptor, duabus in Epistolis quater illum Anti-
 christum nominat, cuius hîc imaginem, vt eam in visione videre sibi datum est, nobis pro-
 ponit. Ita ipse sui quodammodo interpretis est, dum horrendam illam abominationē, quam
 in mysterio intuens obstupuit magna admiratione, in Epistolis nominat illum Antichri-
 stum: cuius Spiritum iam tunc fuisse in mundo dicit, & postea tamen venturum confirmat.
 Cæterum etiam si Antichristi nuncupationem hac in Apocalypsi legeremus, nondum ta-
 men sibi satisfactū dicerent, qui sunt tam morosi & fastidiosi lectores huius Scripturarum
 partis. Vellent scilicet postea ipsam etiam Romam & Tyberim hîc legi, Papæ quoque &
 Cardinalium nomen: imò prædictum hîc sibi fuisse vellent, quot Leones aut Farnesios,
 quot itidem Syluestros aut Alexandros, aut etiam quando, & quot haberet annis Ioan-
 nem Mariam Papalis sedes Antichristi. Sed ne tunc quidem saperent ipsi, & Deo obedi-
 re paratiores essent. Negabunt fortasse, sed in aperto est, & per se loquitur res ipsa. Simu-
 lachra prostare ad cultum, aut sui quoquomodo repræsentandi causa vetat Deus & hoc in
 libro, & tota in Scriptura: significantissimè, apertissimèque illud inculcat magna verbo-
 rum congerie secundum Decalogi mandatum. Non facies tibi sculptilæ, neque vllam ima-
 ginem eorum, quæ sunt in cælo sursum, neque eorum, quæ in terra deorsum, neque eo-
 rum quæ in aquis sunt subter terram. Non adorabis ea neque coles ea. An desinunt ta-
 men Romani Pontificis assentatores impudentissimi in re clarissima tergiversari, fucum
 facere, Deo denique & hominibus illudere? Ita prorsus, nec si hæc Apocalypsis Papas,
 Cardinales, Curiam Romanam, Indulgentias venales, panem transubstantiatum, & reli-
 qua omnia Romani Papatus flagitia suis illis ipsis nominibus clamaret, cederent tamen
 tam proterui ingenii, & desperatæ improbitatis homines, quibus semel constitutum est
 lucri sui, & terrenorum commodorum causa Dei veritati refragari in Romani Pontifi-
 cis gratiam. Rectissimè verò illud quoque olim dictum fuit, Mala & impia est consue-
 tudo contra Deum disputandi. Quare Deum audiamus suo modo (vt ita dicam) sapien-
 tissimè omnino loquentem, neque eum ipsi docere quid, quando & quomodo dici opti-
 mum sit, aggrediamur. Nunquam iisdem ipsis verbis, quæ suo tempore pronuncia-
 uit Angelus, legimus scriptum in Prophetis, Maria vxor Ioseph pariet filium, & voca-
 bis nomen eius Iesum: sed Immanuelis nomen, germen Dauidis, Deus iustitia nostra, & si-
 milia

milia propemodum infinita reperimus. Nemo tamen piorum iam ab ipsis primordiis Ecclesie Christianae non agnouit & confessus est, Iesum Filium Mariae eum esse, de quo illa olim tot tantaeque praedicta fuerant. Sapienti enim dictum sat est. Nos ei gò Antichristum Romanum hinc nobis in detestationem his ipsis notis proponi agnoscamus: quae sunt apertissima, etiamsi non legimus has ipsas voces. Bene enim dixerunt quidam, Quemadmodum Iudaei, quia Messiam detrectant agnoscere, qualis delineatur in Scripturis, falso stultaeque alium expectant: sic qui Antichristum ex suis in sacra Scriptura expressissimis notis nolunt discernere, aniliter illos fabulari de Antichristo & ita iocose ludentes in re maxime seria, cum Antichristo perituros tandem, nisi resipiscant.

Cæterum quod huius sanctissimae prophetiae interpretationem magis affecuti fuisse videntur huius nostri seculi scriptores, doctissimi & pii homines, quam superiorum ætatum vetustissimi etiam quidam, & ab ipsis primordiis Apostolicarum Ecclesiarum minore temporis interuallo distantes, non ideo fit, quod maiore isti sapientia polleant, aut pollere se arbitrentur praeter antiquis illis patribus, quod calumniosè Papistae nostris hodie obiiciunt, quasi superbissimè de se sentientibus. Sed duae huius rei praecipuae, & equidem magnae existunt causae. Prior, quod rebus ipsis hodie extantibus in omnium conspectu (& quidem tanta cum scelerum omnium expressione, ut caeci etiam ipsi palpando percipientes indignationem aliquam concipiant) quas Deus per Angelum multis antè seculis Ioanni in imagine adumbrabat, minus difficilis esse debuit in hac vltima mundi senecta sermonum Ioannis enucleatio certior. Altera autem eiusdem rei causa est, quod Dominus ipse, magis ac magis appropinquante aduentu suo illo formidabili, nolens homines perire, sed saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, plurisque seruatorum suorum, & per eos totis Ecclesiis, ut resipiscant omnes, detegere voluit horrendam illam tectae hypocrisis, simul & tyrannidis in templo suo grassantis laruatam impietatem. Sic numerum septuaginta annorum, de quibus fuerat sermo Dei ad Ieremiam Prophetam, tum demum intellexisse se Daniel scribit, cum desolationi Ierusalem Deus finem imponere vellet, anno scilicet primo Darii Medii, qui rex fuit constitutus in regno Chaldaico.

Et hæc quidè dicta sunt de Apocalypsis autoritate: quae hinc potissimum praefari libuit aggressuris nobis tractationem secundae partis libri, propter eas, quas antè attulimus causas.

*De sigillorum libri Agni comparatione cum
tubis & phialis.*

Sæpissime quidem quod visionibus reuelabat seruis suis Deus, id non contentus semel dixisse, secundo etiam, & nonnunquam tertio quoque repetens confirmabat magis. Id quod & hæc Apocalypsis luculento exemplo commonstrat, ubi res eadem septem sigillis libri, septem tubis, septem item phialis aureis publicè patefit. Sic Petrus Act. 10. cum ei Deus denuntiare vellet, ne refugeret ad hominem Ethnicum venire, dicitur vidisse ter linteum illud è caelo dimitti, ter quoque in caelum attolli, & retrahi.

Cæterum etsi ex partitione totius libri, quae ab initio posita fuit, apparet sententiae nostrae ratio aliqua (& quidem idonea, ni fallor) in conferendis inter se ac coniungendis sigillis libri septem: tubis autem, & phialis etiam totidem: tamen quia breuius ibi dictum illud fuit, ut res ferebat, operæpretium est rationibus id suis nunc commonstrari, antequam ad rei ipsius tractationem progrediamur. Septem sigillis eadem significari patet, quae & septem tubis, septem item phialis. Primum quia inter sigillorum apertionem, & septem tubarum clangorem non maius spatium temporis intercessisse dicitur, quam mediae ferme horae: & quidem tum magnum fuisse silentium toto in caelo. cap. 8. v. 1. Quod perinde accipiendum puto, ac si Deus, & Agnus apertis septem sigillis libri (suo scilicet ordine unoquoque eorum) testarentur, illa quidem sigillorum apertione certiores fieri omnes Ecclesias rerum futurarum ad finem usque mundi, & vltimum illum magnum iudicij diem: certiores, inquã, fieri (quatenus ad praecauenda omnia pericula expediebat, & necesse erat) & maxime serio admoneri variarum inclinationum, conuersionum aut potius auersionum, & defectuum, horrendarumque vbiq; impendentium calamitatum, inter quas patientia, fidei perseverantia, Dei inuocatione, & spirituali conscientiae gaudio sese sustentent pii omnes simul (ut ita dicam) & eorum tamen quisque pro se ad finem usque cursus sui, & consummationem ætatum huius seculi. Hanc ergo tantarum rerum admonitionem per aperta septem sigilla sufficere posse, aut saltè sufficere debere. Sed tamen nequid excusationis quicquã praetexeret, & ut sancti Dei fideles magis solliciti inuigilet & excubent, placere Deo & Agno maxime scilicet sollicitis de fidelium suorum electorum salute, easdem ipsas res, quas aperta sigilla proponebant, detegebant, & patefaciebant, aliter quoq; & aliis verbis dicere: eas etiamnum diuersi generis visione septena, ut antea, magis ac magis ratas facere: nec longa hinc

mora opus esse, sed secundam confirmationē priori illi continuo subiici. Silentium autem magnum, quod toto in cœlo extitisse dicitur, pertinebat ad distinctissimam attentionem vtriusque visionum generis, & tamen prudentem inter se comparisonem, connexionem & coniunctionem admirabilis illius repetitæ, id est bifariæ confirmationis eorundem euentuum. Iam verò quemadmodum temporis propinquitas, & breuissimum inter vtraque interuallum, ostendunt eodem spectare sigillorum & tubarum visionem: ita rursus magna affinitas (& quasi identitas multis in circumstantiis) inter phialarum septem aurearum effusionem, & publicum illum maiestatisque plenum septem tubarum cantum, euincit ac extorquet propemodum, tertium hoc visionum genus eodem referendum prorsus, quò & priora duo. Patet autem illa, quam dixi, affinitas tubarum & phialarum, ex earum expositione & collatione tota, quæ à nobis affertur ex professione: sed tamen quædam præter cætera ita eminent, & in aperto sunt, vt nemo inficias ire queat. Qualia sunt, quòd secunda tuba proclamat, quasi montem magnum igne ardētem proiectum in mare, efficere vt tertia pars maris sit sanguis: secunda item phiala effunditur in mare, quod inde fit, quasi sanguis cadaueris, &c. Item quòd tertio Angelo tuba clangente cecidit è cœlo stella magna ardens velut fax in tertiam partem fluminum, & fontes aquarū: tertius autem Angelus effundit phialam suam in flumina, & in fontes aquarum, &c. Quartus quoque ordo similitudinem inter se habet multam, dum ad quartæ tubæ sonitum percuti dicitur tertia pars Solis, &c. Quarta autem phiala effundi dicitur in Solem. Nec prætermitti debet omnium propè expressissimum, quòd in sexta tuba soluuntur quatuor illi Angeli vincti ad magnū Euphratis flumen: sextus itē Angelus phialā suā effundit in flumē illud magnū Euphratē: præterea in sexta tuba legimus triplicē equitū ordinē indutū thoraces igneos, & hyacinthinos & sulphureos, ab iisq; interfici tertiā hominū partē: sexta quoq; phiala proponit tres impuros spiritus ex ore diaconis & bestię & pseudoprophetæ prodeūtes abire ad Reges terræ & totius mūdi, vt cōgregēt eos ad præliū magni illius dei Dei Omnipotētis. Postremò septima tuba cū clāxisset, leguntur factæ voces magnæ in cœlo dicētes, Facta sunt regna mūdi, [regna] Domini nostri, & Christi eius, qui regnabit in secula seculorū: effusa autē septima phiala in aërem, legitur prodiisse vox magna è templo cœli à throno, dicens, Factum est. In mira scilicet breuitate verborum, imò vno breuissimo verbo, significantissimè dicit, & magno cum rei pondere septima phiala, quod septima tuba, pleniore sententia & magnifico verborum complexu effabatur. Ibidem etiam, in septimæ tubæ clangore dicitur aduenisse ira Dei, & tempus mortuorum, vt iudicentur &c. & perdat Deus eos, qui perdunt terram: septimo similiter Angelo phialam effundente, dicitur Babylon magna venisse in memoriam ante Deum, vt præberet ei poculum indignationis iræ suæ.

Porro libenter quidem exponerem septem phialas quas effundunt septem Angeli, significare plagas iræ Dei sese effudentis in Antichristianam sectam, sicut tubæ significarent hæreses, sigilla autem calamitates immixtas in mundum iusto Dei iudicio: sed vereor vt hæc expositio non possit consistere. Nam primum sigillum, primæque tuba non minùs, quàm prima phiala Deum punientem homines, & puniendo vincentem depingunt: item secundum sigillum & secunda tuba non minùs, quàm secunda phiala. Obscurius illud est in tertio sigillo, sed tamen vt illud exposui, non longè recedit à tertia tuba & tertia phiala. Idem videre est in quarto sigillo, quarta tuba, & quarta phiala. Fateor phialarum effusionem magis exprimere, & quasi nominatim notare iram Dei ferri in Antichristi regnum: sed tamen non dubito, contra illud idem Antichristi regnum præcipuè ferri tam sigillorum apertionem, quàm tubarum clangorem. Ratio autem est, vt puto, quia etsi dura fuerunt tempora Ecclesiarum ante Antichristi regnum, & seuerissimæ persecutiones exercuerunt sanctos Christi fideles, hæreses etiam subinde obortæ tentarunt multipliciter fidem in Ecclesiis, atque adeò labefactarunt nonnunquam grauissimè: poterat tamen ad sustinendos Dei electos sufficere communis doctrina totius scripturæ, poterant & sufficere admonitiones huius in libri primis capitibus inculcatæ Ecclesiis omnibus sub nomine septem Asiæ Ecclesiarum. Poterant, inquam, sufficere illa, quia nondum totas atque omnes lethale malum inuaserat Ecclesias, nondum vniuersalis extabat Ecclesiarum defectio: itaque & publicum Ecclesiæ ministerium, & vsitata singulis (si non omnibus, saltem multis) priuata scripturæ lectio, poterat malis illis mederi: sacrarum etiam synodorum vel prouincialium, vel generalium conuentus non mediocre erat adiumentum ad consolandos, confirmandos, excitandos variè laborantes fideles. Idque ita esse apparet ex Iustini Martyris, Irenæi, Tertulliani, Athanasij, Gregorij Nysseni, Basilij magni, Nazianzeni, Theodoret, Cyrilli, Cypriani, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & aliorum veterum sanctissimis scriptis. At postquam apertè nefanda tyrannis omnes ad vnam semel oppresserat Ecclesias, & quidem tecta miris hypocrisis artificijs, & sic libertas omnis vel extincta erat, vel exulabat,

vele-

vel etiam magis ac magis profligabatur per contumeliam, aut obsolefcebat per incuriam: hoc opus hic labor erat: & ideò triplici visione tantarum rerum præmonitos voluit Deus Christi sui fideles, ne vniuersalis mali æstu quodam abriperentur, aut aliquando abrepti nunquam in viam redirent. Hæc, inquam, maxime necessaria causa fuit eiusdem rei variæ præsignificandæ, & multoties inculcandæ per septem sigilla, septem item tubas, & septem phialas. Est autem quædam gradatio in his obseruatu dignissima. Nam septem sigillorum apertio oculos quidem eminus intuentium excitat, commouet, nec sensus omnis expertes esse finit: at tubarum clangor contentissimus horrificum sanè magis aliquid spirat, & somnolentorum stertentiùmque auribus insonans non patitur in suo veterno pigrescere: sed hæc tamen duo ad oculos tantùm & aures spectare videri possint: verùm phialarum effusio totos homines perfundere & acerrimo sensu vstulare dici potest. Obseruari etiam operæpretium est ita hoc in libro congeri septenas trium generum iisdem de rebus visiones, sigillorum scilicet, tubarum & phialarum, vt sequens vnumquodque genus priore sit expressius, quòd ad rerum etiam narrationem attinet, & res ipsas propiùs intuendas oculis subiiciat, ac pluribus circumstantiis designet & certius definiat. Exempli gratia, sigillorum quidem apertio rem totam, etsi summam, complectitur tamen significanter satis: sed in tubarum clangore multò significantiùs omnia eadem: phialarum autè effusio hæc ipsa omnium significantissimè. Sic in illis somniis Ioseph, expressiùs est Iosephum adorari à Sole, Luna & vndecim stellis, quàm manipulum eius adorari à fratrum manipulis: item in Pharaonis somniis multò propiùs ad significandam frugum vel abundantiam, vel caritatem & annonæ penuriam spectabant septenæ illæ spicæ, quàm totidem vaccæ. Ita quoque visio spectans ad quatuor monarchias in imagine illa cuius caput aureum, Daniel capit. 2. & illis opponens regnum Christi, minùs tamen rem exprimit, quàm illa sequens capite 7. Danieli allata res easdem in quatuor bestiis proponens: apertior est etiam visio partis earundem rerum cap. 8. in ariete, hirco & quatuor eius cornibus &c. rursus specialiores quasdam particulas specialiùs etiam prosequitur cap. 11.

Ceterùm non caret magna gratia, & apparatus magnificentia notabili, progressio hæc Apocalypsis, & tantarum rerum narratio in septem sigillis libri, septem tubis, & phialis septem. Continet enim in se quasi *ἰστορίων* quandam exercendæ iurisdictionis, & picturam summi alicuius tribunalis cum suis effectis. Quemadmodum enim inter homines magistratus is penes quem est publica potestas, ius (inquam) gladij, & merum imperium, capit supplicio animaduersurus, in sceleratos, non tantùm mortis sententiam in eos pronuntiat ore ipse suo, quasi ex scrinio pectoris eam depromès: vel etiam literis descriptam in manu habet: sed tubæ quoque clangore & præconis publico ministerio audientiam sibi fieri iubet, tandem autem sequitur sententiæ ipsius executio rata: ita prorsus similem quandam analogiam inter se habere videntur liber in manibus Agni (summi scilicet iudicis) tubarum clangor & phialarum effusio. Simpliciùs tamen accipere licebit hoc modo: Prima denuntiatio valet, inquiunt iuris ciuilibus professores, dum significant nihil excusationis superesse, nullùmque tergiuersandi locum relinqui ei qui non paret tertio admonitus. Ita proculdubio trina his in visionibus denuntiatio proficiscitur à Deo & Agno quæ inexcusabiles reddat eos omnes qui moniti non sapient, sed draconis & Pseudoprophetæ, idest Satanæ & Antichristi, præstigiis deludi, & incantamentis circumueniri se sinent ad finem vsque, & iis vel incauti parebunt, vel per simulationem sese subiicient metu hominum & amore rerum huius mundi.

* Nunc ad secundæ partis tractationem accedamus, & sigilla cum tubis ac phialis conferamus, propter eas quas dixi rationes: quarum & confirmatio maior ex ipsa tractatione accedet, atque lux clarior emicabit, vt spero. Non ignoro autem pleraque aliter exponi solere, & nouam visum iri hanc explicationem nostram: sed pios omnes rogatos velim, boni vt consulant si ipsi quoque proferimus (modestè quidè, & sine cuiusquam reprehensione, aut diuersæ sententiæ præiudicio vllò) quid nobis tantis de rebus videatur, quod & ipsum tamen, vt paret, veræ Christi Ecclesiæ iudicio ac censuræ subiacere velim, & iam nunc quidem subiicio.

Iam ergò secundum partitionis ab initio totius libri à nobis institutæ rationem, tres illos locos ex diuersis capitibus sumemus, quos ibi attigimus, veluti proœmia quædam esse, & præparationes ad tria quoque hinc præcipua illa visionum genera,

B. iij.

da, quæ est à capite quarto ad vigesimum primum.

Preparatio ad narrationem apertio-
nis septem sigillorum.

Apocalypsis caput 4.

1. Posthac vidi, & ecce ostium apertum in
cælo: & vox p rima quam audiui, tanquam tubæ
mecum loquentis, dicens, Ascende huc, & osten-
dam tibi quæ oportet fieri posthac.

2. Et statim fui in Spiritu, & ecce, sedes posi-
ta erat in cælo, & supra sedem sedens.

3. Et qui sedebat, similis erat aspectu lapidis
iaspidis, & sardini: & iris erat in circuitu sedis,
similis visioni Smaragdine:

4. Et in circuitu sedis, sedilia vigintiquatuor:
& super thronos vigintiquatuor seniores seden-
tes: circumamicti vestimentis albis: & in capiti-
bus eorum coronæ aureæ.

5. Et de throno procedebāt fulgura, & voces,
& tonitrua: & septem lampades ardentes ante
thronum, quæ sunt septem Spiritus Dei.

6. Et in cōspectu sedis tanquā mare vitreū si-
mile cristallo: & in medio sedis, & in circuitu se-
dis: quatuor animalia plena oculis ante & retrō.

7. Et animal primum simile Leoni: & secun-
dum animal simile vitulo: & tertium animal ha-
bens faciem quasi hominis: & quartum animal
simile aquila volanti:

8. Et quatuor animalia, singula eorum habe-
bant alas senas in circuitu: & intus plena sunt o-
culis: & requiem non habebant die ac nocte, di-
cētia, Sāctus, Sāctus, Sāctus Dominus Deus om-
nipotens, Qui erat, & Qui est, & qui vēturus est.

9. Et quum darent illa animalia gloriam, &
honorem & benedictionē sedenti super thronum,
& viventi in secula seculorum.

10. Procidebant viginti quatuor seniores an-
te sedentem in throno, & adorabant viventem in
secula seculorum, & mittebant coronas suas an-
te thronum, dicentes,

11. Dignus es Domine Deus noster accipere
gloriam & honorem, & virtutem, quia tu crea-
sti omnia, & propter voluntatem tuam erant,
& creata sunt.

C A P . V .

1. **E**T vidi in dextra sedentis supra thro-
num, librum scriptum intus & foris, sig-
naturam sigillis septem.

2. Et vidi Angelum fortem, predicantem vo-
ce magna, Quis est dignus aperire librum, &
soluere signacula eius?

3. Et nemo poterat neque in terra, neque sub-
tus terram, aperire librum, neque videre eum.

4. Et ego flebam multum, quoniam nemo di-
gnus inuentus est, aperire librum, nec videre eum.

5. Et unus de senioribus dicit mihi. Ne fleue-
ris: ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David,
aperire

Præparatio ad nar-
rationem clan-
goris septem
tubarum.

Apocal. cap. 8.

1. Et quum a-
perisset sigillum
septimū, factum
est silentium in
cælo quasi me-
dia hora.

2. Et vidi se-
ptem Angelos
stantes in conspe-
ctu Dei, & data
sunt illis septem
tubæ.

3. Et alius
Angelus venit,
& stetit ante al-
tare, habens thu-
ribulum aureum:
& data sunt il-
li incensa mul-
ta, ut daret
de orationibus
Sanctorum om-
nium: super alta-
re aureum, quod
est ante thro-
num.

4. Et ascen-
dit fumus incen-
sorum de oratio-
nibus Sāctorum
de manu Ange-
li coram Deo.

5. Et accepit
Angelus thuri-
ribulum, & im-
plevit illud de
igne altaris, &
misit in terram:
& facta sunt to-
nitrua & voces
& ful-

Preparatio ad narratio-
nem effusarum septem
phialarum.

Apocal. cap. 15.

1. Et vidi aliud signū in
cælo magnum & mirabile,
Angelos septem habentes
plagas septem nouissimas,
quoniam in illis consumma-
ta est ira Dei.

2. Et vidi tanquam ma-
re vitreum mistum igne, &
eos qui vicerunt bestiam, &
imaginem eius, & numerum
nominis eius, stantes super ma-
re vitreum, habentes citha-
ras Dei.

3. Et cantantes canticum
Moyse serui Dei, & canti-
cum Agni, dicentes, Ma-
gna, & mirabilia sunt opera
tua Domine Deus omnipo-
tens: iusta, & vera sunt via
tua Rex seculorum.

4. Quis non timebit te
Domine, & magnificabit
nomen tuum? quia solus
pius es quoniam omnes gen-
tes venient, & adorabunt
in conspectu tuo, quoniam iudi-
ci: tua manifesta sunt.

5. Et post hac vidi, & ec-
ce apertum est templum Ta-
bernaculi testimonij in cæ-
lo.

6. Et exierunt septem
Angeli, habentes septē pla-
gas, de templo, vestiti lino
mundo & candido, & pre-
cincti circa pectora zonis
aureis.

7. Et unum de quatuor
animalibus, dedit septem
Angelis septem phialas au-
reas, plenas iracundiæ Dei
viventis in secula seculo-
rum.

Et 8.

- Septem sigilla. Septem tubæ. Septem phialæ.
- aperire librū, & soluere septem signacula eius. & fulgura, & terra motus magnus. 8. Et impletum est templū fumo à maiestate Dei & de virtute eius: & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.
6. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.
7. Et venit & accepit de dextera sedentis in Throno librū.
8. Et quum aperuisset librū, quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum:
9. Et cantabant canticum nouum, dicentes, Dignus es accipere librū, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.
10. Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes: & regnabimus super terram.
11. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum, & erat numerus eorum millia millium:
12. Dicentium voce magna, Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem & gloriam, & benedictionem.
13. Et omnem creaturam quæ in calo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes, Sedenti in Throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.
14. Et quatuor Animalia dicebant, Amen. Et vigintiquatuor Seniores ceciderunt in facies suas: & adorauerunt viuentem in secula seculorum.

Apocalypsis caput quartum & quintum, quæ visionem habent præparatoriam, vt dixi, ad narrationem apertionis septem sigillorum, sic simpliciter exponi posse puto. Omnia animalia (quæ per quatuor significantur, nempe per leonem omnes feræ, per vitulum omnes quadrupedes domesticæ, per tertium animal habens faciem hominis, homo ipse à digniori & honoratiori corporis parte, per aquilam omnes aues) sunt in medio throni & in circuitu: quia subiiciuntur Deo, qui ipsa creauit, habent alas senas in circuitu, quia variè aguntur, & assidue mouentur: sunt plena oculis antè & retro, quia non fortuito, sed omnia in illis, ex illis & per illa fiunt, occultissima quidè sæpe, sed tamè oculatissima semper Dei prouidentia, & oculatissima omnibus ex partibus. Intus etiã plena sūt oculis, quia nihil nõ, & nullo non tempore, regitur Dei prouidentia, & consilio perspicacissimo. Eadem animalia sine intermissione dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus &c. quia quicquid extat, & fit in mundo, siue per homines, & in hominibus, siue in brutis animantibus omnigenus, testatur Deum aliquem præsidere, & omnia moderari (vt dicuntur Psalmo 19. cæli enarrare gloriam Dei) & cum hoc tacitè clamat tota rerum vniuersitas, vigintiquatuor etiam senes, id est tota Ecclesia & militans, & triumphans, hoc ipsum disertissime, & maxime intelligens, decantat. Sic autem exponendum esse illud de quatuor animalibus, colligo etiam ex fine capitis, Quia tu omnia creasti, & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt. Feræ per Leonem significauit, vt ferarum quendam regem, & nobilissimam bestiam: aues itè per Aquilam volatiliū Regem: domestica quadrupedia per Vitulum, quia ex maioribus quadrupedibus, & in armentis vtile maxime bouillum genus: sic enim bouem aratorem ponit Hesiodus, vt præcipuum aliquid in re familiari fundanda, & augenda: quod potest videri sumptum ex Proverbiis Solomonis cap. 14. ver. 4. Vbi nõ sunt boues, præsepe vacuum est, sed vber prouentus in fortitudine bouis. Mare vitreum ponit, vt etiam piscium genus Dei manu regi insinuet, & quæ in mari vel naturaliter sunt, vel hominibus nauigantibus contingunt, dispensari Dei prouidentia, quæ tam clarè illic omnia videt, ac si esset vitreum mare. Opponit autem vitream perspicuitatem vorticosis vndis, procellosis agitationibus, & tenebris merè Cimmeriis, quæ illic sæpe regnare videntur. Eodem spectat, simile esse cristallo, vt Dei prouidentiam pulcherissimam, & admirabili decore conspicuam nobis proponat, in confusissima, & teterrima facie maris. Nec obstat quòd quatuor illa animalia dicuntur procidisse coram Agno, sicut & vigintiquatuor senes cap. 5. vers. 8. item cap. 6. vers. 1. vnum ex quatuor animalibus dixisse, tanquam vocem tonitruī, Veni & vide, &c. similisque loci. Nam in visione Ioanni oblata, puto quatuor fuisse Angelos, qui repræsentarent illa quatuor animalia, & eorum figuram habere viderentur Ioanni. Adde quòd cap. 5. vers. 13. ea etiam, quæ sunt in mari, scilicet piscium genus omne, dicuntur illud dixisse, Sessori throni

gloria, &c. Atqui piscibus nihil magis mutum. Alioqui enim non video quomodo possit exponi, quod est cap. 15. vers. 7. Vnum ex quatuor animalibus dedit Angelis septem, aureas phialas septem. Rem autem totam extra dubium ponit Ezechiel cap. 1. vers. 10. vbi quatuor hæc animalia ponuntur, & ipse similia quædam scribens cap. 10. vers. 14. quum toto capite dicat sibi visos Cherubin, vers. tamen 15 & 20, addit. Hoc est animal quod videram in flumine Chebar, id est (vt rectè exponitur) hæc sunt animalia. Calvinus autem Ezech. cap. 1. vers. 4. planè ea dicit, quæ totam nostram expositionem confirmant. Item cap. 10. vers. 4.

Liber scriptus intus & à tergo, ob signatusque sigillis septem, est sanctissimorum omnium Dei consiliorum arcanorum sanctissime descriptus (vt ita dicam) liber. Nam reuera Deo non est opus liber vllus, cum sibi Deus ipse liber sit liberrimus, idemque sanctissimus. Eò autem spectat ob signatio septem sigillorum, vt non minus sapientissime & vtilissime, quam magnificentissime, iustissime, potentissime ista omnia apud Deum ab æterno recòdita esse intelligamus, quæ suis singula temporibus, vel seruatorum suorum quibusdam aperiret, quatenus expedire nouerat optime, vel executioni mandaret sapientissime quoque, vtilissime, magnificentissime, iustissime, potentissime. Quemadmodum autem tabulæ legis scriptæ Dei manu, quas attulit ex Dei colloquio in monte Moses, erant vtrinque scriptæ, vt nihil spatij vacui superesset: nequis scilicet aliquid addere attentaret: ita liber hic consiliorum Dei arcanorum non est aliquid mancum aut imperfectum, sed omnia consummatissime completitur & in se continet, neque ex rerum hoc vel illo euentu aliquid ei addit, quasi deliberans Deus. Hæc est simplicissima expositio & maximè genuina, quam confirmat, quod legimus postea reliquo Apocalypseus contextu. Nam quòd quidam iam olim dixit, librum esse Christi humanitatem, sub qua latebat præsentia maiestatis septem quasi sigillis celata, argutè quidem dicitur, sed nihil ad Apocalypseus huius scopum & sanctissimum consilium. Cæterum nemo neque in cælo, neque in terra, neque subter terram potest aperire librum, neque eum inspicere, præter Agnum: quia nemo consiliorum Dei arcanorum conscius particeps, aut cognitor, præter Filium: cui data est potestas in cælo & in terra: neque quisquam alius potest, aut debet, ea inuestigare vel intueri, nisi quatenus & quomodo sapientissime, dignatur ea Filius reuelare, simul & sanctissime, & vtilissime quoque semper. Neque tamen incerti rerum sibi agendarum à Deo deferuntur homines, quibus vitæ regulam, religionis formam, cultus sui normam præscripsit & descriptit in sacris Ecclesiæ literis. Sacrosancta enim Scriptura Ecclesiæ tradita, & penes eam deposita honorificentissime, doctrina scilicet Prophetica & Apostolica est, esseque debet omni & toti hominum generi, omnium totius vitæ partium, & officiorum vnica eadem & optima magistra, perfectissimaque, quòd ad conscientiam attinet, erga Deum, & omnis boni exempli rationem apud proximum. Idèò præter hunc librum septem sigillis ob signatum, quem nemo hominum aut Angelorum aperit, sed solus agnus, dignus quippe inuentus, qui accipiat librum ex dextera eius qui throno insidet, cap. 10. vers. 2. fiet mentio libelli aperti, quem accipere è manu Angeli, & deuorare, atque ita prophetare coram populis & gentibus, & linguis, & regibus multis iubetur Ioannes, id est in Ioannis persona sanctæ Ecclesiæ ministri omnes, vt suo loco postea dicitur à nobis.

Porro hic Deus Pater describitur super thronum sedens, Filius autem stans inter thronum, & animalia, & senes: quia licet idem Deus cum Patre, Filius tamen idemque Mediator perpetuus Ecclesiæ totius: licet primogenitus omnis creaturæ, per quem condita sunt omnia, quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominia, siue imperia siue potestates, &c. est tamè caput corporis Ecclesiæ, primogenitus ex mortuis, in omnibus primas tenès, quoniã in eo placuit [Patri] vt omnis plenitudo inhabitaret, & pace per sanguinè crucis eius facta in terra per eum reconciliare omnia sibi, tū quæ in terra, tum quæ in cælis. Nec tamen visionis huius diuinæ dispensatio (qualia multa de Filio Dei legimus in scriptura) summæ maiestati vnigeniti Filij Dei aliquid detrahit, quando quidem & cap. 3. v. 21. dicitur ipse sedere cum Patre in throno eius: & cap. 22. v. 1. idem dicitur thronus Dei & Agni. Quò etiam videtur referendum, quod est cap. 20. v. 11. & 12. licet minus expressum. Filius ergò [inquam] qui & Agnus stans vt qui fuerat mactatus, &c. accipit hunc librum ex dextera eius, qui throno insidet & singula sigilla suo ordine aperit, quia Pater auctoritatem dedit ei iudicium etiam exercendi quatenus filius hominis est. Vel, si vis plenior, & minimè figurata oratione huius membri in hac visione explicationem, sume, quod dicit Paulus Philippen, capite secundo & hos duos scripturæ locos sic aptissime compara & coniunge: Agnus inter thronum & quatuor animalia & inter senes stans, vt qui fuit mactatus, habens cornua septem & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram, venit & accipit librum ex dextera eius qui throno insidet, & aperit septem sigilla &c. id est, Christus scilicet Iesus, qui cum esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo: sed ipse se exinaniuit, forma serui accepta, si-

milis

milis hominibus factus: & habitu compertus vt homo, ipse se summisit factus obediens vique ad mortem, mortem autem crucis: Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donauit ei nomen quod est supra omne nomen: vt ad nomen Iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & subterraneorum: omnisque lingua cōfiteatur Dominum esse Iesum Christum, ad gloriam Dei Patris. Cum his enim ipsis Pauli planè consentiunt quæ hîc cap. 5. vers. 8. & sequentibus legimus, maximè verò canticum illud omnis creaturæ, quæ in cœlo est & quæ super terram, & sub terra, & in mari, & omnium quæ in ipsis sunt, dicentium, Sessori throni, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.

Quòd autem Viginti quatuor Senes interpretatus sum Ecclesiam vniuersam, siue militantem adhuc, siue iam triumphantem: fortasse numerus vigintiquatuor Seniorum placuit Dei Spiritui ad designandam totam Ecclesiam, quia cum 12. essent tribus populi Dei, & 12. Patriarchæ capita tribuum in Israële secundum carnem: duplicatur ille numerus ad designandam totam Dei Ecclesiam in regnum Dei collectam, vel colligendam, tam ex gentibus, quàm ex Iudæis: maximè verò cum Apocalypsis scriberetur, Ecclesiis etiam gentium, ea quoque consideratio in rationem veniebat. Alioqui cum Dominus Iesus in Iudæa Apostolis Iudæis loqueretur, numero duodenario totam Ecclesiam comprehendit: sedebitis, inquit, super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israël. Neque tamen approbo eorum coniecturam, qui vigintiquatuor seniores interpretantur, duodecim Patriarchas, & duodecim Apostolos. Et si enim non pugnat cū analogia fidei hæc expositio, vix tamè bene conuenire videtur cum reliquo contextu Apocalypsis, nec satis seruat analogiam partium visionis, quæ est hîc cap. 4. & 5. vbi primùm nominatur vigintiquatuor seniores. Malo ergo, 24. seniores dicere totam Dei Ecclesiam collectam ex Iudæis & gentibus, cuius pars iam est in cœlis, pars adhuc Deum inuocat in terris. Absurdum enim esset, cum visio in genere dicat, Creatura omnia quæ in cœlo, quæ in terra, vel etiam sub terra, & in mari, dare gloriam Deo sedenti super thronum cap. 5. vers. 13. dicat etiam magis specialiter per quatuor animalia illic designata cap. 4. vers. 6. 7. 8. tam totam in vniuersum hominum societatem, quàm brutorum animantium genus omne canere Deo laudem sine intermissione: non idem dici nominatim, expressè, & separatim de tota Dei Ecclesia ex humano genere collecta, filiis (inquam) Dei, quorum ij quidem hanc adhuc vitam viuunt mortalem in terris: illi verò sic sunt apud Deum in cœlis, quod ad Spiritus suos attinet, vt altera sui parte corporibus scilicet ipsis sint etiamnum in puluere terræ. Nec verò dubium est, cum sub rerum creaturarum nomine non tantum animantia vel arbores, sed & saxa omnia metallaque intelligantur sua quadam etiam voce (vt ita dicam) celebrare Dei magnitudinem: idem etiam si bintelligendum dici facere ipsa quoque cadauera mortuorum, maximè verò piorum cadauera. Iam si 24. Seniores restringis ad duodecim Patriarchas, & duodecim Apostolos, non satis constabit consideratio hæc pulcherrima, sanctissima, imò prorsus necessaria in hoc Apocalypsis libro, & libri ipsius visione prima simul & primaria, quippè quæ veluti fundamentum quoddam substernatur sequentibus omnibus totius Apocalypsis. Neque debet à ratione alienum videri, vigintiquatuor seniores esse totam Ecclesiam, non autem partem aliquam Ecclesiæ præcipuam, & eximios quosdam in toto filiorum Dei numero: nam & eodem modo loquendi Iacobus cap. 1. vers. 18. dicit nos (de tota fidelium Dei corona loquens) esse primitias quasdam creaturarum ipsius. Ad hoc totum verò adde, quod cum duodecim Apostoli dicuntur sessuri super duodecim sedes ad iudicandum duodecim tribus Israël, hoc partim ad ministerium eorum refertur, id est ministerij Apostolici authoritatè & dignitatem (& ita sub numero illo duodenario comprehenduntur fideles omnes noui testamenti ministri, Euangelij præcones, Ecclesiarum pastores: quamobrem ex vigintiquatuor Senioribus hîc, alteri duodecim deberent potius constituti esse, fideles sacerdotes, & Leuitæ veteris testamenti, cum toto ordine sanctorum prophetarum, quàm duodecim Patriarchæ, capita duodecim tribuum, cum sciamus publicum Ecclesiæ ministerium sub Lege fuisse propriè penes vnam tribum Leui) partim comprehendit etiam omnes ordines filiorum Dei in Ecclesia & ad singulos fideles extenditur (iuxta illud Pauli primæ Corinth. cap. 6. vers. 2. & 3, An ignoratis sanctos mundum iudicaturos? An ignoratis fore vt Angelos iudicemus?) & ita non valde curiosè laborandum esset in numero duodecim vel vigintiquatuor, vt dimidia pars huius numeri essent duodecim Patriarchæ.

Et hæc quidem est expositio capitis quarti & quinti, quæ diximus præparationem quandam esse ad narrationem apertionis septem sigillorum libri. Eadem est ratio initii capitis octaui ad clangorè septem tubarum: item totius capitis decimi quinti, ad septem phialarum effusionem. Sed eorū breuis expositio peti potest ex iis, quæ diximus eò pertinentia in partitione totius libri posita iam ab initio huius Methodi.

Iam sequitur comparatio sigillorum, tubarum, & phialarum ex ipso Apocalypsis contextu.

Illud tamen capite 15. notatu dignissimum est, quod qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, dicuntur stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, & canere canticum Mosis serui Dei, & canticum Agni. Ita enim Veteris & Noui Testamenti lætissima harmonia, optimusque concentus esse indicatur: quemadmodum & cum in Euangelio legimus, apparuisse in monte Mosen & Eliam cum Deo Iesu Dominoque eodem suo & nostro loquentes.

Primum sigillu.

Cap. 6. versu 1.

Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis: & audiui unum de quatuor animalibus dicēs, tanquam vocem tonitruī,

veni, & vide.

2. Et vidi, & ecce equus albus: & qui sedebat super illum, habebat arcum:

& data est ei corona, & exiit vincens ut vinceret.

Prima tuba.

Apocalypsis cap. 8. v. 6.

Et septem Angeli qui habebant septem tubas, preparauerunt se ut tuba canerēt.

7. Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando & ignis, mista in sanguine: & missum est in terram:

& tertia pars arborum cremata est, & tertia pars terra combusta est, & omne fenum viride combustum est.

Prima phiala.

Apocalypsis cap. 16. v. 1. Et audiui vocē magnā

de templo dicentem septem Angelis, Ite & effundite septem phialas iræ Dei in terram.

2. Et abiit primus, & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sanū & pessimum in homines qui habebant characterem bestię: & in eos qui adorauerunt imaginem eius.

Ego quidem, ut antè dixi prolixius, non dubito: videat tamen & iudicet Christi Ecclesia, videant pij & eruditi omnes, & iudicent ex scripturarum inter se comparatione, deinde rerum quoque euentus cum scripturarum sacrosanctis oraculis collatione: ego, inquam, non dubito quin septem sigilla libri, quæ ordine suo singula aperit Agnus cap. 6. 7. eadem significant, quæ clangor septem tubarum per septem Angelos, distinctissimè clangentes, ordine etiam eorum vnumquemque suo, capite 8. 9. 10, quæ & eadem phialæ septem effusæ à septem Angelis, distincto inter singulas temporis interuallo, designent. Ita quidem videri possint, & sic ego sentio, ad maiorem confirmationem eorum earundem repetitiones sub variis visionibus, ut & Genes. cap. 37. rem eandem significant duo somnia Ioseph: & ita quidem, quemadmodum alibi dixi, ut posterius maiorem habeat rei futuræ confirmationem, & luculentiorē quandam admirabilioremque euentus expressionem.

Et cap. 41. eiusdem rei duo sunt somnia Pharaonis. Et cur duo, causam reddit ipse somnij apud Regem interpretes Ioseph. Quod autem, inquit, iteratum somnium est ipsi Pharaoni duabus vicibus, significat quod firma res sit à Deo, & festinat Deus facere eam. Sic sanè initio huius libri dicitur Apocalypsis hæc Iesu Christi esse, quam Deus ipsi dedit ut indicaret seruis suis, quæ oportet fieri citò, &c. Item, beatus qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ huius, & seruant ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim propè est.

Ergò primi sigilli apertio, vbi insidens ille equo albo habet arcum & vincit, coronaque insignis est: neque fortuito vincit, sed quia prodiit vincēs, & ut vinceret: id ipsum est quod magis confirmat primæ tubæ clangor, vbi grando & ignis mista sanguine proiciuntur in terram. An non enim certa, magna, & longè, latèque patens victoria describitur, cum non tantum magna hominum describitur strages, & multa sanguinis effusio intelligitur, sed in ipsas quoque res inanimatas sese exerit potentissima victoris manus, ad id ut tertia pars arborum exusta, omne autem fenum viride exustum dicatur? Id ipsam & primæ phialæ effusio denotat, breuius quidem, sed cum specialiori quadam in vincendo perseverantis iræ inustione: cum præter ea quæ præcedentes visiones adumbrabant, in iis quoque qui supererant hominibus post tantam cædem, hæsurum dicit vulnus malum ac noxium, quo veluti lenta morte eos magis torqueat, eos, inquam homines, qui habent characterem bestię, & eos qui adorent eius imaginem. Significat autem non paruum hominum numerum, ut patet ex cap. 13. versu 15. 16. 17.

Cate-

Cæterum qui dicitur in primi sigilli apertione prodisse vincens, & ut vinceret sedens in equo albo & habens arcum, cui etiam dicitur data corona: non dubito quin is sit ipse Dei Filius. Nec obstat quod ipse sigilla libri aperit: absurdi (inquam) nihil habet hoc, Filiū Dei cum esse, qui sigilla libri septem solus aperiat, & tamen eundem prodire ex primi sigilli apertura: & ita in eodem opere ipsum dupliciter considerandum fidei nostræ proponi. Sic enim etiam, ut sanctissimè quidam veterum dixerunt, ipse & templum Dei est, & idem tamē Deus inhabitans. Adde quod pendens in cruce idem erat, & Templum, & altare, & Sacerdos & Victima pro peccatis nostris, & tamen is ipse peccata remittebat, non tantum ut legatus Patris & salutis minister, potestate accepta & sibi data à Patre, sed etiam potestatiuè ut Deus idem cum Patre, salutisque non tantum materia, sed & autor, manente tamen semper illa sancta œconomia in mysterio salutis nostræ secundum personarum distinctionem. Ergo nihil habet alienum ab analogia fidei, & huius Apocalypseus concinna descriptione, duo hinc quodomodo officia Christo tribui, nempe ut potestas penes eum vnum sit aperiendorum sigillorum libri, quem Pater sedens in throno ei tradit, & tamen ad primi sigilli apertionem prodeat ipse sedens in equo albo, corona insignis victor, & vincere etiam num perseverans semper: Quod si quis obiiciat eandem esse rationem huius equi equi albi & eius qui ei infidet, quæ postea equi rufi in secundo sigillo, nigri in tertio, pallidi in quarto: nequaquam verò, inquam ego. Nam quemadmodum etsi sigilla septem, septem item tubæ cum phialis septem ad easdem res significandas pertinent, pulcherrima tamen vna quedam distinctio apparet inter hæc tria, quod Agnus aperit sigilla omnia libri, Angeli postea tum tubis clangunt, tum phialas effundunt (hi scilicet ut ministri, ille ut operis totius autor, & præses cum Patre) ita licet secundo, & tertio, & quarto sigillo aperto totidem prodeant equites, decuit tamen resignato primo sigillo, Filiū Dei, qui omnia referabat, prodire quoque primum omnium, tanquam fortissimum & potētissimum eundemque sapientissimum ducem irreprehensibilium operum omnium & iudiciorum Patris: & prodire quidem non in rufo, nigro, aut pallido, sed in equo albo sedentem. Porro omnem dubitationem eximere videtur eiusdem descriptio clarior, magnificè quoque sedentis in equo albo cap. 19. vers. 11, ubi & exercitus qui sunt in cælo dicuntur eū sequi in equis albis, vestiti bysso alba & pura.

Secundum sigillum.

Apocalypsis cap. 6. vers. 3. Et cum aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animas dicēs, veni & vide.

4. Et exiit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut inuicem se interficiant: & datus est ei gladius magnus.

Secunda tuba.

Apocalypsis cap. 8. v. 8. Et secundus Angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare: & facta est tertia pars maris sanguis.

9. Et mortua est tertia pars creatura eorum qui habebant animas in mari, & tertia pars nauium interijt.

Secunda phiala.

Apocalypsis cap. 16. vers. 3. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima viuens mortua est in mari.

Confert secundæ phialæ effusionem cum secundi sigilli apertione, ubi sedens super equum rufum tollit pacem è terra, ut homines mactent alij alios, & datus est ei gladius magnus. Magnam certè factam esse cædem oportet, ubi etiam mare ipsum fit quasi sanguis cadaveris. Confer & cum clangore secundæ tubæ, ubi quasi mons magnus ignis ardens proiectus est in mare, factaque est tertia pars maris sanguis. Hæc certè tria bene conueniunt: deinde secundum primo, & tertium secundo est expressius & auctius. Nam dari gladium magnum sessori equi rufi, & dari ei tollere pacem è terra, ut alij alios mactent, rem quidem ipsam dicit: sed circumstantiis eam maioribus illustrat, & pluribus amplificat secunda tuba. Siquidem incredibiliter sæuissimè oportet gladium illum acutum, & magnum, si non tantum multo sanguine perfusa est tota terra, sed & tertia pars maris est sanguis, adeoque rubet sanguine, ut videatur quasi mons magnus igne ardens proiectus in mare, tanta etiam putredo ex sanie mare inficiat (id est tertiam maris partem) ut tertia pars non tantum eorum quæ animata viuunt in mari, emoriatur, sed & ipsarum quoque nauium tertia pars corumpatur & intereat. Secunda autem phiala rem totam licet paucioribus verbis, noua tamen auxilio horrendum in modum quasi locupletat. Triplicat enim, cum non iam tertia pars maris fit sanguis, sed totum mare, nec sanguis simpliciter, sed sanguis cadaveris: item non

tertia tantum pars animantium, sed in vniuersum quodcunque animalium genus vivebat in mari, deperit. Deperiisse quidem naues non hic dicitur, vt in secunda tuba, sed ex re ipsa facile subintelligitur, imò prope necessario cõsequitur. Si enim sanguine foetida tertia pars maris, foetore quoque suo exedit & absumpsit tertiam nauigiorum partem, quis non videt, vbi ipsum semel totum mare in sanguinem versum est, ne in ipsis quidem nauium fragmentis salui aliquid superesse posse? Plurimum ergò valet omnino ad exprimendam magnam sanguinis humani effusionem, cum non tantum dicitur mare factum sanguinem, sed quicquid animalium vel natabat, vel extabat, vel latebat interiisse prorsus. Ideoque monui ab initio, non tantum crescere orationem, sed res ipsas pro triplici illa magnificentissima signorum varietate suis quoque incrementis assurgere semper, & desuper attoli subinde. Primum enim septem esse sigilla, quod est aliquid obscurius, deinde septem tubas. sigillorum quidem certè quanuis apertio, vt dixi, est aliquid minus perceptibile, quam tubarum sonorus clangor: at phialarum effusio non tantum auditu percipitur, sed ipso tactu aliorum etiam sensuum vim commouet, & quantumuis languentem vel sopitam & stupentem excitat, phialæ enim cum effunduntur plenæ plagarum iræ Dei, non oculos tantum aut aures mouent, & percellunt, sed liquore illo suo penetrantissimo stigmata inurunt foedissima, & notas imprimunt doloris acerbissimi plenas: deniq; sic tota corpora afficiunt, imò cõficiunt, vt extet illud, Horribile est incidere in manus Dei viuentis. Item, Deus noster ignis consumens est.

Tertium sigillum.

Tertia tuba.

Tertia phiala.

Apocalypsis cap. 6. vers. 5. Et cion aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal dicens, Veni, & vide. Aspexi igitur, & ecce equus niger: & qui se debat super illum, habebat stateram manu sua.

6. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentem, bilibris tritici denario & tres bilibres ordeï denario: & vinum & oleum ne læseris.

Apocal. cap. 8. v. 10. Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo stella magna, ardens tanquã facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.

II. Et nomen stella dicitur absinthium: & facta est tertia pars aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amara facta sunt.

Apocalypsis cap. 16. vers. 4. Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis.

5. Et audiui Angelum aquarum dicentem, Iustus es Domine, Qui es, & qui eras, sanctus, qui in hac iudicasti:

6. Quia sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.

7. Et audiui alterum dicentem, Etiam Domine Deus Omnipotens, vera & iusta iudicia tua.

Tertius Angelus effundens phialam in flumina, & fontes aquarum, ad eò vt fiant sanguis, qui sit hominibus pro potu, optimè consentit cum tertio Angelo tuba canente, ad cuius clangorem cecidisse dicitur e cælo stella magna ardens veluti fax, & de nomine suo vertisse in Absinthium tertiam partem aquarum, vt ex iis multi homines morerentur, quòd amaræ factæ essent. Perinde enim est, ac si succo Absinthij sanguineo ideòque lethifero eos potasse diceretur, vel sanguinem propinasse eis Absinthiten, qui amarore suo eos enecet. Rem autem totam & confirmat & explanatiorem facit, quæ sequitur, Angeli aquarum oratio, gratias Deo agentis propter hæc Dei illustria iudicia, & tâtas vltiones. Reddit enim causam, cur Deus & sanguineo & amarissimo potu homines conficiat, quia scilicet cum sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderint, dignissimi sanè sunt, qui tam tetra Absinthia ebibant, non illa quidem medicamentosa, sed ad dirissimam mortem torminosa, vt ita dicam. Cæterum duplex pœna sic infligitur Dei inimicis, dum in ipso potu, quo carere molestissimum est, abstinere naturæ repugnat, bis cruciantur, nam & amaritudo absinthij e potu nauseam gustu ipso ori, palato, stomacho: & iisdem omnibus, sed multò magis & oculis ipsis horrorem quoque affert sanguinis bibendi conspectus. Imò & mors inde intus concepta tertium quoque malum parturit, aut tertium ipsa est malum. Et hic quidem (vt dixi) est consensus tertie tubæ cum tertia phiala. Optimè etiam hæc conueniunt cum apertione tertij sigilli.

Nam qui equo nigro insidet, habet stateram, vox autem clamat, Chænicem (vbi interpres Bilibrem posuit) tritici denario: & tres chænicas ordeï denario, etiam si vinum & oleum nò læseris. Sic enim hic (vt & nò nunquã sumitur alibi) prius *Kai* vel etiam vtrūque vertendū est, pro *Kai* positū, Etiam si vinum & oleum nò læseris. Significatur verò summa annonæ caritas, & penuria, cum dicitur Chænicem tritici denario (id est, propè triplicatū iri in Chænice pretiū quo antea venibat totus modius) etiam si calamitatē nò acceperint vites & oleæ. Nò dicit autē nò læsum iri vinum & oleum (siue, quod idē est, vites, & oleas nullā sensuras calamitatē) sed etiam etiam si

fi non læsa essent vinum, & oleum. chœnicem tamen tritici denario venditum iri. Ergò cogitandum relinquit, quanta fames futura sit, quum non solum frumenti magna erit inopia, sed simul etiam & oleæ, & vites afflictæ fuerint, vt futurum sanè, licet non apertissimè dicit, non tamen obscurè prorsus. Nam toto hoc libro nulla hominibus relinquitur consolatio in Dei beneficiis terrenis, sed tota & vnica constituitur in cognitione & fide Iesu Christi, synceròque Dei timore: hæc, inquam, sola proponitur hominibus moderatio iudiciorum Dei, & liberatio ab eius ira, quia quæcunque alioqui leuationes & mitigationes Dei flagellorum, cum tandem in maiorem cumulum condemnationis cedant, vix possunt (vt fert sermo harum visionum) dici moderationes iræ Dei, ac ne vix quidem dici possunt. Vt enim cap. 16. versu. 1. dicuntur Angeli effundere septem phialas iræ Dei in terram, sic intelligendum quoque est, aperta fuisse in libro septem sigilla iræ Dei in terram, & clausisse septem tubas iræ Dei in terram. Vnde sequitur non esse coactam expositionem, quam afferimus, & τὸ ἔλαιον & τὸν δῖνον μὴ ἀδίκησης, Etiam si oleum, etiam si vinum non læseris. Ad hanc quippe interpretationem nos ducit ipsa omnium eorum sermonum, quos Ioannes audiuit natura (vt ita dicam) & quasi indoles, id est propria circumstantia: cum sigillorum singulorum apertio, tubæ etiam vniuscuiusque clangor, & phialarum effusio, totidem sint exempla, Dei flagellorum, & eius iræ inflicte testimonia. Et hîc rursus in comparatione tertii sigilli cum tertia tuba, & tertia phiala, cernitur illa, quam sæpe dixi, progressio, rei ipsius magnitudinem mirum in modum augens, & exaggerans. Nam tertium sigillum magnam annonæ caritatem prænuntiat, vini scilicet, olei, (vt exponi illud debere ostendi) tritici & ordei: tertia autem tuba, ne aquas quidem ad bibendum hominibus salubres fore, addit, cum fontes ipsi, & tertia pars fluminum, absinthii amaritudinem imbiberint: tertia postremò phiala non iam tertiam partem fluminum, & fontes aquarum, sed simpliciter, ideòque vniuersaliter, flumina cruenta tota esse cœpisse, & fontes aquarum sanguineos factos dicit apertissimè. Cæterum, notandū quòd in apertione tertii sigilli, non is ipse qui sedet in equo nigro, & habet in manu stateram, clamat illud, Chœnicem tritici denario, &c. sed vox hæc dicitur, prodire ex medio quatuor animalium, ergo ex Dei throno, cum cap. 4. v. 6. quatuor illa animalia dicatur fuisse in circuitu throni. Sic autem significatur hoc loco, sterilitatē agrorum, frugū penuriā, annonæ caritatē, & quæ ex his cōsequitur, famē, quæ multa hominum millia enecet, peccatorū pœnas esse, & ab ipso Deo iudice immissas calamitates. Qui ergo sedebat in equo nigro non iudex est, neque sententiæ arbiter, imò ne præco quidē, sed tantū libri-pens, qui tacitus id exequitur quod vox illa à Dei throno prodiens decernit. Eodem spectat quòd tertia tuba non nudè dicit, aquas absinthii sapore imbutas fuisse, sed modum quoque horrendæ huius transmutationis exprimit, stellam magnam cui nomen Absinthium, ardentem vt facem è cœlo decidisse, clarissimè canit. Nam eò refero vt intelligamus, non humanitus ista contigisse, sed decreto cœlesti, & Dei ipsius omnipotentis certissimo iudicio. Quòd si quis quærit, quando hæc euenerint: respondeo, figuratis his sermonibus in septenis istis trium generum visionibus nō aliud significari, quàm quod Dominus propriis verbis, & aperto sermone dixit in Euangelio, de bellis & rumoribus bellorum, fame, pestilentia, terræ motibus, seditionibus, ac tumultibus in populis, hæresibus & variis doctrinæ corruptelis, tum etiam persecutionibus contra Euangelii sinceros professores, & pietatis veros cultores. Sed cum hæc singulis propè seculis extiterint, postquam Dominus ascenderat in cœlum, & quidem generalissimè hæc ipsa dicat in Euangelio, hæc Apocalypsis ea tantum tempora complectitur, quæ post exortum Romanum Papatum eas ipsas omnes calamitates senserunt, & sæpius sunt experta. Rationem antea reddidi: nempe superioribus omnibus illis ætatibus, in mediis variarū afflictionū fluctibus, saluifica tamen vis aliqua ministerii Ecclesiastici supererat, vnde & malorū suorum solatiū petebant pii, & melioris spei semper aliquid sibi affulgere non procul intuebatur. At abominatione illa nefandissima Romani Papatu surgente in medio Dei tēplo, & Ecclesias omnes fatuosissimè conculcante, nequis per tot secula desertā à Deo Ecclesiā suspicaretur, et si afflictissimam prorsus, necessariæ fuerunt hæc conquistissimæ & ad commouendos animos nostros vehemētissimæ omnino descriptiones. Nicolaitæ scil. Carpocrates, Cerinthus, Ebiō suo tēpore, Marcio postea, & alii pessima hæresi inficiebāt Ecclesias: Nero, & alii Romani sæpe post eū principes igni, ferroque Christianos persequerentur: sed nō deerāt sui Ecclesiis ministri, & strenui duces gregis, industriique pastores, qui illorum pestiferos errores refutarēt, horū gladii terrorē piis sermonibus apud fideles debilitarēt, eneruarēt, & retunderēt, & singula Ecclesiæ mēbra in tātis malis nō mediocriter laborātia, opportunis remediis subleuarēt, & fouerēt, ad sanctā cōstantiā animādo, & idoneis cōsolationib. recreādo. Postquā verò Romanus sese super oēs extulit Antichristus, scholas barbaries, tēpl a ty rānis spiritualis horrida inuasit, præter idola, & simulachra nihil ibi videri, præter idioma peregrinū, nihil

propè omnibus in Ecclesiis legi, cani, audiriue cœpit, in sectas autè varias nominæque infinita scissus, laceratus ac discerptus fuit Christianismus. Nemo propè interim qui se tantæ tyrannidi opponeret, reperiebatur, nemo qui contrà mutire auderet, nisi cum vitæ periculo, & certissima crudelissimæ mortis expectatione: sine fructu autem vllò, id est emendatione tantorum malorum. Hic verò maximè necesse fuit, multò antè præmonitos pios omnes fuisse, nihil tantorum malorum. extitisse, sine Dei (cui tamen semper sua maximæ Ecclesiæ curæ est) iustissimo iudicio & certissima prouidentia. In solitis, inquam, modis, resonantissimisque vocibus, ac rerum verborumque miraculis, & portentis ista omnia pronuntiari, & prænuntiari oportuit, propter Ecclesiæ miserabilem, si vnquam antea, conditionem & desolationem ex Pastorum omnium ignauia, inficitia, inuidia, auaritia, superbia, & Diabolica regis eorum Antichristi tyrannide: & tamen certissimam salutem eiusdem Ecclesiæ ex Dei immutabili electione. Arium scilicet, Sabelium, Eutychem, Nestorium, Pelagium, & alios hereticos veteres odisse se simulat Antichristus, cum Romana synagoga: sed ideò tetriora propè mala inuehit, quia tectiora: & ideò certissimè tetriora inuehit, quia magis vniuersalia: & ea tamen ipsa omnia, obliquo quodam flexu, & occulto circuitu confirmat, quæ priores omnes hereses inuehebant.

Deus ergò propter hanc Diabolicam audaciam superbissimi Antichristi, Christum ex suo solio deturbantis magna cum hypocrisi, nec sine ludibrio, peccatorum remissionem pro imperio, plenòque iure sibi tribuentis, vt & alia omnia Christi diuina iura ad se trahentis, & sibi arrogantis arrogantissimè: propter hanc, inquam, scelerum, ac flagitiorum immatissimorum hominis illius peccati, & filii perditionis infinitam colluuiem per omnes Ecclesias toto propè mundo orbe peruagantem tot iam seculis, non desinit Deus, non desinit Christus eius, bellicis cladibus, fame, peste, horredis regnorum concussionibus, & euerfionibus, & innūdationibus, sexcētisque aliis malis (inter quæ sunt, & repētini terrarum hiatus) modò hic modò illic fulminare, & varios subinde populos flagellare, castigarèque. Hæc sunt quæ notabat primus trisariæ visionis ordo, vbi homines habentes characterè bestię, & adorantes imaginem eius, non inanis, vulnus quoque malum ac noxium infligi, grandinem & ignem missa sanguine proiici in terram, sic autem illum in equo albo sedentem, arcu diuino insignè, & corona triumphali ornatum vincere, clamabat. Hæc ipsa secundus quoque ordo, vbi tolli pacem è terra, vt alii alios mactent, darique gladium magnum cuidam in equo rufo sedenti, proiici in mare quasi montem magnum igne ardentem, mare ipsum fieri quasi sanguinè cadaueris, perire naues, emorìque viuentia in eo omnia. Eadem verò descriptionem prosequitur hic quoque nunc tertius ordo, eo quo diximus modo: prosequuntur & sequentes tres. Vltimus verò, qui & septimus oculatissimè (vt ita dicam) ostendit, cum omnia mundi, in incredulitate sceleratissimi, flagitia aduentu suo æternis pœnis vindicaturus sit Dominus, omnium tamen maximè hoc facturum vnum, vt quod multò antè facere cœpit extet perfectissimè tunc & plenissimè, illud olim scilicet prædictum à Paulo, destrui impium illum Spiritu oris Domini, & illustri illo aduētū eius aboleri. Inter hæc autem tam varia, & multiplicia, ac mirum in modum horrenda, & per tot rerum anfractus vbique ostenditur, & exitu tandem ipso perfectissimè comprobatur, Christi fidelium nullum non esse beatissimum, electorum, inquam, Dei prorsus perire neminem.

Hæc copiosius nunc etiam commonstrare operæpretium fuit veluti in medio cursu, vt sanctissima visa ista omnia, per septenos ordines disposita, de temporibus Antichristi Ioanni data fuisse, magis confirmarem:

Et tamen ita Antichristi regni ætates omnes reprobat & condemnat Apocalypsis, vt ea præcipuè secula notet, quæ post mille annos illos quibus cap. 20. vincit dicitur fuisse Satan, extiterunt: quia tum magis efferbuit, longè latèque grassata est, præfidiis omnibus suis flagitiosissimè sese sustentans, & desperatissimè exultauit effrenatissima illa Romani Papatus, ambitio, auaritia, crudelitas, tyrannis, hypocrisis & impudentia. Hæc enim duo vitia inter se pugnantia miro quodam, & antea propè inusitato sceleris artificio simul copingit, & coagulat in Romano Papa magister eius Satan: licet de Antichristo & Antichristianis suo tempore loquens Bernardus (fuit enim post annos illos mille) Si tamen hypocrisis, inquit, dici debet quæ latère præ abundantia non valet, & præ impudentia non quærit.

Et si autem dixi non debere restringi ad vnum aliquod exemplum vel vnus seculi spatium, quæ hic dicuntur de pœnis à Deo inflictis ipsis Euangelii persecutoribus sub Romani Antichristi tyrannide: singula tamen horrendorum eiusmodi Dei flagellorum exempla prudenter obseruari ab omnibus oportet. Et habuit quidem nostra hæc ætas illustre admodum vel ex ipsa temporis circumstantia, loci quoque obseruatione. Nam cum anno 1545. Aquensis Senatus (vbi summum est tribunal totius Gallie Narbonensis quam Prouinciã vocant) sententiam crudelissimam Ioannes Minerius eius curiæ præfectus
crudeliùs

crudelius etiam mandasset executioni immixtis in sanctos fratres Valdenses (qui Merindolum, Cabrieram, & vicina loca incolebāt) militaribus copijs, mense Aprili, nullōque habito sexus vel ætatis discrimine, nullo sæuitiæ genere prætermisso omnia igni ferrōque vastasset: sequentis anni mense Maio, mensis die ultimo in ipsa vrbe Aquensi oborta est, & totos nouem menses grassata sæuissima pestis, vt passim ex populo interirent ætatum omnium & mares & fœminæ, in medijs etiam epulis, neque præ numero morientium iam cœmeteria vlla inhumandis cadaueribus sufficerent. Non pauci etiam eorum quos tam dira lues inuadebat phrenitide correpti, secundo die in puteos sese proiciebant, aut ex ædiū fenestris in ipsas vrbes vias præcipites sese dabant. Alios vexabat sanguinis è naribus tantū profluuium die noctūque, vt non alio remedio quàm morte sedaretur. Eò etiam vsque morbi malignitas progressa est, vt prægnantes mulieres quarto die abortarent, isque esset ipsis vitæ finis, idemque dies vitæ & mortis esset fœtui ipsorum vnus. Nec non in abortiujs hisce tota cutis purpureis quibusdam maculis fœdata, & quasi notis compuncta extabat, vt diceret cruentam saniem toto infantili corpore sparsam. Tanta etiam erat tota vrbe perturbatio, & animorum consternatio, vt nulla patrem proles suæ, nulla maritum vxoris cura tangeret: quidam etiam aureos, argenteosque nummos manibus ostentantes, ab omnibus tamen destituti, fame siti que perirent, nemine vel frigidæ cyathum eis præbente. Quod si quibus non defuit cibus, tanta tamen erat vis morbi, vrgebatque quantumuis effugere conantes, vt in moruorum ore hærens adhuc inueniretur bolus. Omnium verò illud maximè stupendū erat, quòd cum totam vrbe peruagaretur, & inficeret contagio, peste correptorum, nec halitus, nec ipse etiam intuitus & oculorū coniectus satis esset tutus alijs: siquidē in quamcumque corporis partem incubuisset, spectasset ve, ilicò ibi pustulæ, bubones & aliæ veneni indices emergebant notæ. Denique nec phlebotomia, nec adhibitæ cucurbitulæ, nec Theriacha, aut vllum aliquid eiusmodi cordi propitium medicamentū obstabat, quin horrendū malum miseris crudeliter vexaret, sugillaret, contunderet, suffocaret, conficeret, & extingueret. Vna itaque omnibus cura in tanta rerum desperatione semel mori: adeoque vt plerique officia ipsi vespillonum accelerantes, sese viuos etiamnum linteis infuerent, ad dimidium vsque corporis, aut eo plus etiam quoad eius fieri poterat. Hæc fuit pestis illius, inuitabilis, & penetrantissima malitia, ex ipsius etiam publici medici, qui præsens aderat, relatu. Quis verò neget sic Deum voluisse sanctorum fratrum Valdensium (filiorum quippe suorum) crudeles mortes, incendia oppidorum & vicorum, bonorum direptionem, agrorū vastationem, monstroso hoc morbi genere in ea ipsa vrbe totis nouem mensibus vlcersci, ex qua prodierat furia illa, pauperularum Christi Ecclesiarum tota illa regione exterminatrix, Aquensis scilicet senatus sententia strenuè subscriuens Romanæ meretrici, sese inebrianti sanguine martyrum Iesu Christi?

Appendix.

Ne cui obscurum fortè sit illud in tertio sigillo, Chœnicem tritici denario, &c. sic paucis accipe quod non potui antea commodè attingere, ne verborum expositio, rerum ipsarum enucleationem abrumperet. Chœnix sunt duo sextarii, modius sexdecim sextarii, & ita Chœnix est octaua pars modii: modius autem aliquando asse tantum vœniit, at quatuor assibus (vt prius ex historia probat, posterius ex Martiali Camerarius) & denarius Romanus fuit decem assium, id est de sententia Budæi, valoris trium solidorum Turonensium cum dimidio. Hinc sequetur modium qui asse vœnibat, fere quatuor numulis Turonensibus *quatre deniers*, constituisse (ferè dico, vel circiter: nam supersunt ex toto duo numuli Turonenses) qui quatuor assibus vœnibat, sexdecim numulis turonensibus fuisse emptum. Iam Chœnix (quæ erat octaua pars modii, & demensum diurnum seruorum) secundum pretium prius modii (assem scilicet) fuerit octaua pars quatuor numulorum Turonensium, ergo dimidius numulus Turonensis, quem dicimus *une maille*: secundum posterius autem pretium modii (quatuor nempe asses) Chœnix octaua pars modii constiterit semisse, id est numulis Turonensibus duobus *deux deniers*. At Chœnicem tritici denario, dicit tertium sigillum in Apocalypsi, id est tribus solidis turonensibus & dimidio. Ita pretium auctum dicit vicies. Audio in hac regione, etiam si quis minimè sit edax, panis tamen esurum ad duos solidos Sabaudicos vsque. Sed non est exigendum quod hîc dicit Apocalypsis, ad quarumdam terrarum sterilitatem & annonæ caritatem, cum in orbe Romano hæc scripta sint, vbi multæ magnæque prouinciæ erāt frumentariæ.

Quartum sigillū.

Apocal. cap. 6.
ver. 7. Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicētis, Veni, & vide.

8. Et ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi mors: & infernus sequebatur eum: & data est illi potestas super quatuor partes terre interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terre.

Quarta tuba.

Apocalypsis cap. 8. v. 12.
Et quartus Angelus tuba cecinit & percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Luna, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.

13. Et vidi, & audiui vocem unius aquila volantis per medium caeli, dicens voce magna, Vae, vae, vae, habitantibus in terra: de caeteris vocibus tuba trium Angelorum qui erant tuba can-
turi.

Quarta phiala.

Apocalypsis cap. 16. v. 8. Et quartus Angelus effudit phialam suam in Solem, & datum est illi aestu affligere homines & igni.

9. Et aestuauerunt homines aestu magno, & blasphemaerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt poenitentiam, ut darent ei gloriam.

Quæret aliquis quomodo quæ hîc dicuntur de quarta phiala effusa, conueniant cum quarti sigilli apertione, vbi equo pallido insidens mors, quam sequebatur infernus: & quarta pars terræ trucidata dicitur gladio, fame, morte (pestem autem mortis nomine significare videtur) & à bestiis terrestribus. Respondeo ex phiala effusa in ipsum Solem, & tanto aestu concitato, ut etiam homines igne videantur cruciari, morbos passim grassari exitiales, agros aduri, & reddi steriles, homines etiam, sanguine in ipsis incalescente & feruidius ebulliente ex aestu nimio Solis, biléque prætorrida commota, fieri ferociore, & furore corripiti, ut alij in alios gladio sæuiant: feras quoque, & fame, & siti, & ipso caeli ardore concitatas magis efferascere, ut sese ex suis latebris furibundæ proripiant, & vndique irruant in homines, vixque vllis pareant. Non malè hæc etiam consentiunt cum quarta tuba, vbi percutitur tertia pars Solis, Lunæ, & stellarum, & obscuratur tertia pars earum, ut diei nō luceret pars tertia, & noctis similiter ita enim describitur: horrenda illa rerum vbiq; perturbatio, hominum anxietas, & mundi deformatio, sæuiantibus simul pluribus magnis Dei flagellis, gladio scilicet, fame, morbis incurabilibus, & feris rabie concitis. Apparet autem etiam hîc gradatio illa, quam dixi in superioribus, ex collatione sigilli cum tuba, & tubæ cum phiala: posterius scilicet vnumquodque rei eiusdem magis horrendam descriptionem habet. Vides enim ut quartum sigillum quadrantem terræ gladio, fame, peste, & ferarum incurfionibus interire: quarta autem tuba, non tantum terram iam feriri dicat, quartam scilicet eius partem, sed & ipsum Solem, Lunam, & stellas (eò nempe quem attulimus sensu) neque corporum horum cœlestium quartam partem, ut terræ, sed tertiam. Obscuratio verò tanta tertiæ partis Solis, Lunæ, & stellarum, ut nec interdiu, nec noctu intermissionem vllam haberet trientis amissio illa lucis, magnam etiam habet in exaggerando, & amplificando vim. Et tamen hoc quoque ipsum multò minus est dictu, quàm quod habet quarta phiala in Solem effusa qui aestu affligat homines, & igne tanto adurat ut aestuent blasphemantes Dei nomen, blasphemantque magis ac magis aestu illo torridi.

Porro hîc quoque succurrere nobis debet quod dixi paulò antè in tertio harum visionum ordine: figuratos scilicet esse magna ex parte hos sermones, neque exigendum ut ostendamus hæc omnia maximè naturaliter, id est literaliter sensu, extitisse in Romano Papatu, quæ suis quibusdam dicendi figuris describit Apocalypsis. Refert Augustinus libro de ciuitate Dei tertio, cap. 23: Antequam se aduersus Romam sociale bellum commoueret, cuncta animalia humanis vsibus subdita, canes, equos, asinos, boues, & quæcunque alia pecora sub hominum dominio fuerunt, subito efferata, & domesticæ lenitatis oblita, relictis tectis liberè vagari cœpisse: & omnem non solum aliorum, verum etiam dominorum auersari accessum, non sine exitio vel periculo audentis, si quis de proximo vrgeret. Hoc verò ipsum Romæ euenisse Antichristi vllis temporibus, nemo prodidit: & tamen certissimum est, multò maioris Dei iræ signa esse quæ hoc totius Apocalypsis vario schemate adūbrat nobis Spiritus sanctus Romanū Papatū in detestationē nobis depingens, & quæ inuehit in mundum horrenda mala. Thais hæc Romana, Ecclesiæ propè totius calamitas exitalis.

Quod

Quod dicitur cap.8.vers.13. vā, vā, vā incolis terræ à reliquis sonis tubæ trium illorum Angelorum, qui clangent: ideo est, quia quinta tuba emissarios Antichristi describit multiplici astu illudentes conscientias hominum, illis morsum, tanquam scorpionum in ferentes, & eas torquentes: sexta deinde tuba, quomodo iidem cruenta persecutione irruunt in ipsos fideles, & incendiis crudelibus sæuiunt: & tamen terrore magno cœlitus percelluntur, cap. 11. vers. 13. septima postremò tuba, diem iudicij & iræ Dei horrendæ describit cap. 11. vers. 18. Ideo in sexta tuba dicitur rursus cap. 11. vers. 14. Vā secundum abiit, & ecce vā tertium veniet citò. Ut autem quarta tuba illud clamat, vā & c. à reliquis sonis tubæ trium Angelorum: sic puto cogitandum, quòd quartum sigillum idem denuntiat fore à reliquis tribus sigillis. Nam quintum sigillum, sæuam esse piorum persecutionem denotat: sextum in iudicium diem iudicij, & iam horrore confodientem & sauciantem homines: septimum ex reuelatione gloriæ filiorum Dei, satis dat cogitare cruciatus æternos impiorum.

Sic & quarta phiala idem præsignificare censenda est: nam quinta phiala describit tenebrosum factum regnum bestiarum, Et mandebant (inquit) linguas suas præ dolore, & blasphemabant Deum præ doloribus, & c. sexta etiam phiala describit siccitas aquas Euphratis: ergò & malè esse Babyloni, & vā quoddam non paruum ei incidisse, & Spiritus illos tres dæmoniorum edentes signa, & c. Septima autem phiala, diem iudicij, & quomodo fractus ruat totus hic mundus aspectabilis. Est autem emphaticum illud, Vā incolis terræ, vt & illud cap. 11. vers. 10. & incolæ terræ gaudebunt super illis, seruis scilicet Dei & Prophetis trucidatis. Incolæ terræ opponuntur filiis Dei, quorum iam nunc conuersatio est in cœlis. Sic capite 12. vers. 12. Latamini cœli & qui habitatis: Videntur ter repeti, Vā, vā, vā, quia restant tres tubæ. Vā incolis terræ & maris & c. Antithesis est inter filios Dei, qui etiam hanc terrenam vitam viuentes, sunt tamen iam ciues cœlorum: & filios huius mundi, quorum hæreditas est in diuitiis terræ & maris. Est autem sumpta locutio ex communi vsu Scripturæ. Sic enim Isaia cap. 26. vers. 18. conqueritur Ecclesia se nondum liberari à suis illis summis & quotidianis calamitatibus, quum non ceciderint incolæ orbis

Quintum sigillum.

Quinta tuba.

Quinta phiala.

Apocalypsis cap. 6. v. 9. Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi sub altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant. 10. Et clamabant voce magna, dicentes, vsquequò Domine, sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra? 11. Et data sunt illis singula stola alba, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec cõpleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.

Apocalypsis cap. 9. v. 1. Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de celo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi. 2. Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fornacis magna, & obscuratus est Sol & aer de fumo putei. 3. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram: & data est illis potestas sicut habent potestatem scorpiones terra. 4. Et præceptum est illis, ne laderent fenum terra, neque omne viride, neque omnem arborē: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. 5. Et datum est illis ne occiderent eos sed vt cruciarentur mensibus quinque, & cruciatus eorum vt cruciatus scorpionum cum percussit hominē. 6. Et in diebus illis quarent homines mortem, & non inuenient: & desiderabunt mortem, & fugiet mors ab eis. 7. Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium: & facies earum tanquam facies hominum. 8. Et habebant capillos sicut capillos mulierum: & dentes earum, sicut leonum erant. 9. Et habebant loricas sicut loricas ferreas: & vox alarum earum, sicut vox currum equorum multorum currentium in bellum. 10. Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. 11. Et habebant super se regem, Angelum abyssi, cui nomē Hebraicè Abaddon, Græcè autē Apollyon, Latine habens nomen Exterminans.

Apocal. cap. 16. v. 10. Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiarum: & factum est regnum eius tenebrosum & com-manducauerunt linguas suas præ dolore. 11. Et blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

C. iiii.

Pulchrè etiam conueniunt quintum sigillum & quinta tuba cum hac quinta phiala. Nam quintum sigillum proponit animas eorum, qui interfecti sunt propter verbum Dei, quæ ad Deum clamant ipsæ in cælo sub altari quiescentes: & tamen dicit alios etiam fratres & conseruos trucidandos eadè de causa. Quinta autem tuba describit regem & regnum putei abyssi, Solem & aëra obscuratum esse fumo putei, locustas è fumo illo prodire habentes potestatem scorpionum, &c. Ita scilicet authores magnarum illarum persecutionum diurnarumque & tantè effusionis piorum sanguinis, depingit, quam breuiter attigerat quintum sigillum à posteriori (vt loquuntur) siue à consequente antecedentia cogitanda magis relinquens, quàm apertissimè omnino enarrans ordine rerum gestarum. Quinta verò phiala licet maiore compendio verborum vtitur, quàm quinta tuba, rem tamen apertius detegit thronum bestiae nominans: & ostendit, inualecente regno Antichristi, magisque ac magis insolecente in Deum & sanctos eius, & tenebris suis omnia obscurante, Deum interim non cessaturum: sed fore vt alias ipse tenebras inducat in regnum & thronum bestiae, id est fore vt illud dedecoret ac affligat multis modis, sentiâtque Antichristiana illa secta excelsissimi Dei duram manum, & eum præ dolore blasphemet, nec tamen resipiscant ab operibus suis, ergò nec à persecutione piorum, & effundendo aliorum Christi fidelium sanguine, post multos iam eorum trucidatos, vt dicebatur in sigillo quinto. Sexta etiam tuba, Antichristi illos emissarios, vt videbimus, describet. Hoc tamen differentiae esse videtur inter tubam quintam & sextam, quòd quinta tuba vim nocendi illam spiritualem, & conscientis illatam perniciem à clero Romano depingit, cum dicit nò occidi homines, sed torqueri tanquam morfu scorpionis, & saeuissimo cruciatu affici, ita vt quarant mortem & non inueniant: ab hac verò lethali tandem, sed lenta tamen læsione eximi dicit Dei electos, quia non patitur illos Deus seduci ad mortem vsque: sexta autem tuba Romani cleri totà colluuiem introducit crudelissimè persequentem, & interficientem pios Dei omnes cultores. Sed hoc ipsum prius de quinta tuba exponamus, vt deinde comparatio ad sextam quoque tubam melius elucescat. Dicit Ioannes se cum quintus Angelus clamasset vidisse stellam è cælo cecidisse in terram, cui data est clavis putei Abyssi &c, quidam hoc referunt ad Arium, sicut & eius sequaces existimant esse locustas istas de quibus paulò post. Ego cum illud constitutum habeam (vt iam sæpe antè dixi) totum hunc librum (exceptis tribus primis capitibus) & visiones varias in eo comprehensas, spectare præcipuè ad describendam tyrannidem spiritualem Romani Papatus & totius cleri eius (cui finem vltimum allaturus est magnificentissimus & potentissimus ille Domini iudicis aduentus fidelibus omnibus exoptatissimus & iucundissimus: qua de causa, & iustissima quadam occasione attextuntur descriptiones, tam æterni cruciatus impiorum omnium, quàm infinitæ illius & ineffabilis piorum sceleris per omnia seculorum secula duraturæ sine fine) ego, inquam, cum illud constitutum habeam, agi in his visionibus de Antichristiana Romani Papatus tyrannide, ab ipso capite summo, vsque ad infima quæque membra sceleris illius cleri: stellam quæ è cælo ceciderat non interpretor Arium, sed paulò aliter expono. Malo ergò id referre ad Satanà cælo eiectum. Et conuenit hic loquendi modus cum illo Isaia 14. Quomodo è cælo cecidisti Lucifer auroræ fili, &c. Vbi non videntur præter rationem loqui illi, qui sentiunt alludere sermonem de rege Babylonico ad ruinam Angelorum superbientium, & deturbationem illam vetustà Satanæ expulsi ex habitatione cælestis gloriæ Dei. Fateor quidem flagitiosissimos quosdam ex falsis doctoribus in Iudæ Epistola nominari (allusione rursus quadam ad lapsum spirituum, qui nunc immundi sunt, & Angeli tenebrarum dicuntur) Stellas erraticas, quibus caligo tenebrarum in æternum seruata est. Sed hinc caput illud nefandum totius defectionis notatur, qui & versu 11. dicitur Angelus Abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè Apollyon, quem sibi impositum regem habent omnes illæ locustæ: quippe quæ ex illius regis armario, & architecti omnis sceleris officina prodierint, & depromptæ sint. Dicitur autem tum vidisse eum Ioannes cecidisse è cælo in terram, qui multis antè seculis deturbatus fuerat è gloria cælesti: quia sic ferocit quasi nunc primùm irrueret in homines, & nouis subinde impressionibus totum mundum vexat. Diabolus itaque dicitur princeps putei. Ideò clauem eius habet. Sed dicitur ei data, quia ne hunc quidem principatum infelicem haberet, nisi Deo dante. Deus ergò supremus tamè est semper moderator, iudex, arbiter, iustissimus & sanctissimus sine vllò crimine ipse, & peccati vel labecula vlla, vel impuritate participatione vlla: quippe contra vindex & vltor omnis impietatis, iniustitiæ, & impuritatis constantissimus, licet patientissimus. Iam additur aperuisse ipse satan puteum abyssi, & ascendisse fumus putei, vt fumus fornacis magnæ: ex fumo autem prodierint locustæ dicuntur, cum obscuratus esset Sol & aër à fumo putei. In summa scilicet & horrenda veritatis Dei ignoratione, & puræ religionis adulteratione, clerus Papalis emerisse in Ecclesiam,

vel po-

vel potius irruisse dicitur. Locustas enim esse clerum Papalem, totum scilicet Romani sacerdotij, & monachus Romani ordinem cum suis quoque scholis, suis deinde variis ordinibus, & gradibus distinctum, in illo tamē suo nefando capite, siue Satana, siue Antichristo eius filio, coniunctissimum, descriptio ipsa ostendit. Figuræ quippe locustarum (siquidem non sunt locustæ reuera & naturaliter, sed in mysterio) dicuntur habere super capita tanquam coronas similes auro. Coronas certè sacerdotales intelligi nemo non videt, quibus Romanus Papatus regias quasdam coronas in suis clericis voluit quoquomodo repræsentare. Idè per imminutionem dicitur hîc non coronas, sed tanquam coronas: deinde non ex auro, sed similes auro. Contrà cap. 4. vers. 4. viginti quatuor seniores habent simpliciter coronas aureas, quia decor spiritualis veræ Ecclesiæ & filiorum Dei, nihil fictum habet, aut adulterinum, sed genuinus & solidus est rei omnium pretiosissimæ splendor.

Cæterum habebant illæ locustæ capillos vt capillos mulierum, id est promissam comam non tonsam. Vocat autem idè capillos mulierum, quia viri passim in illis regionibus tondentur, vt liquet etiam ex Paulo, i. Cor. ii. Ergo monachos & sacrificulos denotat visio. omnes enim licet radant partem aliquam verticis in capite (vt exier coronæ, quam vocant, quibusdam arctior, aliis latior, & spatiosior) in reliqua tamen capitis circumferentiâ capillum sinunt crescere, & oblongum gestant.

Vers. 8. *Et dentes earum, vt leonum erant.* Monstrum hoc est horrendum, vt locustis sint dentes, quemadmodum sunt dentes leonum. Conuenit quod vers. 17. in sexta scilicet tuba loricati illi equites dicuntur equos habuisse, quibus capita erant, vt capita leonum.

Vers. 9. *Habebant etiam loricas, vt loricas ferreas.* Loriceæ fortasse possunt intelligi gestamina sacra ab ipso collo in vtranque partem pendentia, in humeros scilicet & lumbos à tergo, in thoracem à parte anteriori: qualia habent in suis missis, vespertinis precibus, & supplicatoriis processionibus. Loricarum enim simile aliquid habent illa Phrygionico opere facta, & auro vel argento rigentia: qualia propemodum habent insignia regij corporis custodes in Gallia.

Cæterum quod clerus Romanus hîc locustis comparatur (sicut & ranis in sexta phiala) latus se campus aperit ad ostendendum quantam clerici Romani perniciem gentibus & populis afferant: vt quod dicit ille de locustis scribēs, deorum iræ pestis ea intelligatur. Namque & grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum stridores, vt aliæ alites credantur, solémque obumbrent, sollicitè spectantibus populis, ne suas operiant terras. Sufficiunt quippe vires, & tanquam parum sit maria transire, immensos permeant tractus, diraque messibus contegunt nube, multa contactu adurentes omnia verò morfu erodentes, & fores quoque tectorum, &c. Idè in Cyrenaica regione lex est ter anno debellandi eas, primò oua obterendo, deinde fœtum, postremò adultas: desertoris pœna in eum, qui cessarit. Hæc, inquam, omnia oratione prosequi liceret, sed nolo nunc: alias fortasse, si plus otij dabitur Deo volente. Contentus itaque sum dici locustas Romanum clerum, à multitudine infinita, quæ subinde emergit omnibus in regnis, gētibus, populis, provinciis, nationibus, & linguis: quæ Christianismi nomine gloriantur. Tot orbis partibus (vt inquit ille de locustis) vagatur id malum. Ipsarum etiam locustarum referre aliquid simile videntur capita, quæ sunt in cappis sacerdotum, quas gestant excepto ipso Missificante, & Diacono, Subdiaconoque, nonnulli alij sacerdotes in missis solennibus, vespertinis precibus & similibus quibusdā eorum nefandis sacris. Neque tamen fileri omnino potest morsus earū perniciēs, & cruciatus, cum hîc dicatur fore, vt in diebus illis querant homines mortem, & non inueniant eam: desiderant mori, fugiat mors ab eis. Ingeminatur enim istud, & bis repetitur non sine causa. Horrendam scilicet conscientiarum carnificinam sub Papatu pulchrè depingit, quæ plurimos etiam impulit, vt de misericordia Dei desperantes, mortem sibi consciscerent miseri, & impij, à diabolo per Antichristum potentissimè delusi, & fascinati. Hîc eminet confessio aularis, cælibatus lex, & alia Monachorum, ac Monialium vota, omnisque traditionum humanarum, ac meritoriorum operum pestifera doctrina.

Porro, quod præcipitur locustis illis, ne lædant gramen terræ, neque viride quicquam, sed tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis: iam dixi quorsum pertineat, seruatos scilicet fuisse, & seruari Dei electos, etiamsi nondum tota extincta est colluies illa cleri papalis, quam in Ecclesiam euomuit puteus Abyssi. Assine verò admodum est totum istud illi in sexto sigillo capite .7. versu. 1.2.3. vbi Angelis quatuor, qui insisterant quatuor, angulis terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super terram, neque super mare, neque in vllam arborem, dicit alter Angelus quidam, ne noceant terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque (inquit) obsignemus seruos Dei in frontibus suis. Vnde patet, etsi meritò confertur primum sigillum cum prima tuba, &

prima phiala, & sic deinceps secundum cum secunda: non tamen id ita præcisum esse, quin aliter etiam inter se vel omnia, vel quædam remotiora conferatur. Sic enim quinta tuba, & sexta multam habent affinitatem. Sic & quintum sigillum cap. 6. vers. 9. & 10. vbi animæ eorum, qui mactati fuerunt propter verbum Dei, &c. & sexta tuba cap. 11. versu 7. 8. 9. 10. vbi prophætæ Dei interficiuntur, & iacent eorum cadauera in plateis: idem & tertia phiala notat, cap. 16. vers. 5. & 6. Iustus es Domine qui es, & qui eras, & sanctus, quia hæc iudicasti: quia sanguinẽ sanctorũ, & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti ad bibendũ, &c.

Quòd de mensibus quinque dicitur, quibus locustæ istæ nocent, significatur nõ fore perpetuum earum regnum, sed multis modis imminutum, & coarctatum iri Dei misericordia erga Ecclesias suas. Perplacet autem eorum sobrietas interpretum: qui respicere hoc genus dicendi putant ad totidem menses, quibus vigent locustæ in ipso naturæ communi ordine. Et quidem in Apocalypsis interpretatione omni, quemadmodum & in parabolæ, visionum, diuinorum somniorum, & similibus omnium reuelationum, siue in vetere, siue in Nouo Testamento, prudenter cauendum, ne minima quæque supersticiosè, scrupulosè, aut argutè excutere velimus, & eorum rimari rationem aliquam, vbi sæpè populariter etiam propter nostram ruditatem, loquitur Spiritus Dei. Exemplum sumi potest in numeris, de quibus ferè semper (quædam enim excipio, vt septuaginta illas hebdomadas annorum apud Daniele, & in Apocalypsi illa sexcenta sexaginta sex, & alia fortasse nonnulla similia, quæ non carent certissimo mysterio) qui laborant, nodum in scirpo quærunt. Puta, cur in Euangelio quinque virgines prudentes, & quinque fatuæ ponantur: cur non potius septenæ, vt in Apocalypsi septem Ecclesiæ, septem Spiritus Dei: cur item Apocalypsis capite decimosexto dicantur ex ore draconis, bestię, & Pseudoprophetæ prodire tres Spiritus immũdi, ac non potius septem, vel nouem, vel etiam multa milia. Etsi enim aliqua horum fortasse reddi potest ratiuncula: omnino tamen dum in his laboratur, necesse est tantum detrahi temporis, quod dandum erat rebus necessariis, ad quas sanè ediscendas, cogitandas, & mente sapius reuoluendas, & ad vsum quotidianum piè reuocandas non nimio abundamus otio, vt est ingenij nostri multa & prauitas & paruitas.

De rege harum locustarum attigi breuiter antea conferens versum primum cum vndecimo: cum tamen Salomon in Prouerbiis dicat, locustas regem non habere, & nihilominus egredi turmatim vniuersas, vel concidentes & arrodentes omnia, agnoscendũ est hoc quoque contra naturæ ordinem habere istas locustas, quòd non sine rege quodam suo egrediuntur, ad nocendum. Porro quòd sapientiam tribuit ibidem Solomon locustis in rerum natura, conuenit etiam locustis istis ex fumo putei abyssi prodeũtibus, si modo sapientiam interpretemur versutam calliditatem, & fallax ingeniu: quo sensu de serpente loquitur Moses, & Dominus etiam in Euangelio. Nequis verò miretur, Romanum Papam cum suis omnibus Clericis, Sacerdotibus, Monachis non nominari hęc Ecclesiam, neque ipsos dici homines Ecclesiasticos, sic accipe. Quemadmodum Moabitæ & Ammonitæ, Ismaelitæ, Madianitæ, Idumæi, & similes ex Ecclesiæ sinu quodammodo prodierant (illi scilicet duo priores ex Loth filio fratris ipsi Abrahæ, alij tres vel ex Abrahâ quoque ipso, nempe ex vxoribus Agare, & Cethura, vel ex eius filio Esau sicut & Amalecitæ) nec erant tamẽ Dei Ecclesia, sed Dei Ecclesiæ infestissimi hostes: ita Clerus Papalis, id est cum Romano sacerdotio Romanus quoque Monachus totus, licet in Ecclesia quodammodo natus est, minimè tamen est Ecclesia, sed Ecclesiæ labes, calamitas, pestis. Fateor ex sacerdotibus & monachis Romanensibus emergere quosdam ad salutem (quos scilicet vel inde educit apertè, violenter etiam extrahit sæpissimè, vel occultis & miris modis expurgat intus tandem Deus ipse sancto suo Spiritu) sed & non dubito ex illis quas dixi gentibus, quæ semen Abrahæ erant, seruatos fuisse quosdam, & fide insitos in familiam Isaac. Vnus pro omnibus exemplo nobis esse potest Iob: sed & idem videmus in quatuor illis eius amicis. Et quidem Eliphaz ex semine Esau fuisse multa indicant.

Sextum sigillum.

Sexta tuba.

Sexta phiala.

Apocal. cap. 6.

Apocalypsis caput. 9. 13. Et sextus Angelus

Apocalypsis cap. 16. vers.

12. Et vidi

quum aperuif-

set sigillum sex-

tum, & ecce ter-

remotus magnus

factus est, & Sol

factus est niger

tan-

tuba cecinit, & audiui vocem unam ex quatuor

cornibus altaris aurei quod est ante oculos Dei,

14. Dicentem sexto Angelo qui habebat

tubam, Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt

in flumine magno Euphrate.

15. Et soluti sunt quatuor Angeli, qui para-

ti erant in horam, & diem, & mensem, & an-

num

12. Et sextus Angelus

effudit phialam suam in flu-

men illud magnum Euphra-

tem, & siccauit aquas eius,

ut prepararetur via regibus

ab ortu solis.

13. Et vidi de ore dra-

conis,

Sextum sigillum

tāquam faccus cilicinus, & Luna tota facta est sicut sanguis.

13. Et stella coeli ceciderunt super terram: sicut emittit grossos suos quum a vento magno mouetur.

14. Et caelum recessit sicut liber inuolutus: & omnis mons, & insula de locis suis mota sunt.

15. Et reges terra, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium.

16. Et dicunt montibus & petris, Cadite super nos & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira Agni:

17. Quoniam uenit magnus dies ire ipsorum & quis poterit stare.

CAP. VII.

Verf. 1. Post haec uidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terra, tenentes quatuor ventos terra ne flaret uentus super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.

2. Et uidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum

Sexta tuba.

num, ut occiderent tertiam partem hominum.

16. Et numerus equestris exercitus uicies millies dena millia: & audiui numerum eorum.

17. Et ita uidi equos in uisione: & qui sedebant super eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas & capita equorum erant tanquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.

18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & sulphure, qua procedebant ex ore ipsorum.

19. Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum: nam caudae eorum similes serpentinibus, habentes capita, & in his nocent.

20. Et ceteri homines qui non sunt occisi in his plagis, neque poenitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent demonia, & simulachra aurea & argentea, & aerea, & lapidea, & ignea, quae neque uidere possunt, neque audire, neque ambulare.

21. Et non egerunt poenitentiam ab homicidijs suis neque a ueneficijs suis neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.

CAP. X.

1. Et uidi alium Angelum forte descendentem de caelo, amictum nube, & Iris in capite eius: & facies eius erat ut Sol, & pedes eius tanquam columna ignis.

2. Et habebat in manu sua libellum apertum, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.

3. Et clamauit uoce magna, quemadmodum cum leo rugit: & quum clamasset, locuta sunt septem tonitrua uoces suas.

4. Et quum locuta fuissent septem tonitrua uoces suas, ego scripturus eram: & audiui uocem de caelo dicentem mihi, signa, quae locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.

5. Et Angelus quem uidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad caelum.

6. Et iurauit per uiuentem in secula seculorum, qui creauit caelum, & ea quae in eo sunt, & terram & ea quae in ea sunt, & mare, & ea quae in eo sunt, quia tempus non erit amplius.

7. Sed in diebus uobis septimi Angeli quum tuba coeperit canere, consummabitur mysterium per seruos suos Prophetas Dei sicut euangelizauit.

8. Et audiui uocem de caelo iterum loquentem mecum, & dicentem, uade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare & super terram.

9. Et abi ad Angelum dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi, Accipe, & deuora librum: & faciet amaricari uentrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

10. Et accepi librum de manu Angeli, & deuorauit illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & quum deuorassem eum, amaricatus est uenter meus.

11. Et dixit mihi, Oportet te iterum prophetare gentibus & populis, & linguis, & Regibus multis.

CAP. XI.

Verf. 1. Et datus est mihi calamus similis uirgae, & dictum est mihi, Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.

2. Atrium autem quod est foris templum, etice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est Gentibus: & Ciuitatem sanctam calbabit mensibus quadraginta duobus.

3. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

4. Hi sunt dua oliuae & duo candelabra, in conspectu Domini terrae stantes.

5. Et si quis uoluerit eis nocere, ignis exibat de ore eorum: & deuorabit inimicos

Sexta phiala.

conis, & de ore bestiae, & de ore Pseudoprophetae spiritus tres immundos in modum ranarum.

14. Sunt enim spiritus demoniorum facientes signa & procedunt ad Reges terra totius, congregare illos in praelium ad diem magnam Omnipotentis Dei.

15. Ecce uenio sicut fur. Beatus qui uigilat, & custodit uestimenta sua, ne nudus ambulet & uideant turpitudinem eius.

16. Et congregabit illos in locum, qui uocatur Hebraice Armageddon.

Sextum sigillum.

gnum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis quibus datum est nocere terra & mari.

3. Dicentes nolite nocere terra, neque mari, neque arboribus, quoad usque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.

4. Et audiui numerum signatorum centum quadraginta-quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israël.

5. Ex tribu Iuda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad duodecim millia signati.

6. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephthali, duodecim millia signati. Ex tribu Manassé, duodecim millia signati.

7. Ex tribu Simeon, duodecim millia signati. Ex tribu Leui duodecim millia signati. Ex tribu Issachar, duodecim millia signati.

8. Ex tribu Zabulum, duodecim millia signati. Ex tribu Ioseph duodecim millia signati. Ex tribu Benjamin duodecim millia signati.

Sexta tuba.

micos eorum, & si quis voluerit eos ledere, sic oportet eum occidi.

6. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetia ipsorum: & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem & percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint.

7. Et cum finierint testimonium suum, bestia qua ascendit de abyssu faciet aduersum eos bellum, & vincet illos & occidet eos.

8. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magna, qua vocatur spiritualiter Sodoma & Egyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est.

9. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis.

10. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos & iocundabuntur, & munera mittent inuicem. quoniam hi duo Propheta cruciauerunt eos qui habitabant super terram.

11. Et post dies tres & dimidium, Spiritus vite à Deo intrauit in eos, & steterunt super pedes suos: & timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos.

12. Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis, Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nubes, & viderunt illos inimici eorum.

13. Et in illa hora factus est terremotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit: & occisa sunt in tremotu nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli.

14. *Va secundum abijt: & ecce va tertium venit cito.*

Cap. 6. v. 12. *Et vidi quum aperuisset sigillum sextum.* Confer hæc vsque ad finem capitis, cum capitis 9. ver. 13. & sequentibus. & cap. 16. v. 12. vbi sexta tuba, & sexta phiala: & videbis hunc locum per prolepsin sumendum, & hic dici, quæ ad septimum sigillum magis spectat, quo dies iudicij significatur. Est ergo sensus, tam certa esse, quæ post tempus sexti sigilli absolutum, fient, vt iam in apertione sexti sigilli extare videantur. Neque mirum est cum sexta tuba, & sexta phiala, calamitates horrendas denuntient (vt & cap. 7. v. 1. 2. 3. sexto sigillo similia tribuit) non mirum est, inquam, iam in apertione sexti sigilli describi sensum iræ illius Dei tremendæ, futuræ vltimo die, in ipsa scilicet apertione septimi sigilli. Quia autem initio aperti sexti sigilli, hæc per prolepsin viderat, & scripserat, quæ magis ad septimum sigillum referuntur: ideo cap. 8. v. 1. vbi septimi sigilli meminit, nihil speciale ponit (hic enim dixerat) sed transit ad septem tubas.

Quòd si cui videtur hinc esse perturbatus ordo: duo respondeo. Primum, methodi, ordinis, sermonis elegantia authorum Deum, illa nonnunquam negligere non sine causa: nec esse nostrum, exigere vt Deus sic vel sic loquatur: sed quod loquutus est, quomodo intelligat, præ expendere, sollicitèque mentibus, & cordibus nostris recondere. Alterum, neque hanc prolepsin carere gratia, & vtili obseruatione. Hæc ergo, non quasi historicè dicta suo ordine legamus: sed per admonitionem *μνηστικῶς* representata.

Sextum scilicet sigillum describit aduentantem formidabilem diem illud iudicij, sed verbis tamen vtitur, quæ quasi iam præsentissimum proponant. Quod non malè conuenit cum cap. 16. v. 14. & 16. in effusione sextæ phialæ, vbi dicuntur ad Reges terræ, & totius mundi abire spiritus dæmoniorum tres illi impuri, vt congregent eos ad prælium magni illius diei Dei omnipotentis. Sextum item sigillum cap. 7. proponit quatuor Angelos (malos scilicet) insistentes quatuor angulis terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne quis ventus flaret super terram, neque super vllam arborem, neque super mare: ergo vt noceant terræ, mari & arboribus (quemadmodum illic dicitur v. 3. cap. 7.) cum nec terra, si nullus ventus spiret, secunda esse queat, vel salubris ad eam inhabitandam aer, nec mare nauigari, nec arbor vlla fructum producere, vel florere. Hæc autem optimè consonant cum tuba sexta cap. 9. ver. 13. 14. 15. & c. quæ describit vnde quatuor illi mali Angeli insistentes quatuor angulis terræ ad nocendum, & c. quia scilicet tunc soluti sunt Dei iussu, cum vincti tenerentur ad flumen magnum Euphraten.

Euphraten. Id etiam optimum habet consensum cum sexta phiala, quæ dicitur effusa super magnum illud flumen Euphraten, & siccatum esse. Siquidem discedentibus quatuor Angelis, qui illic vincti erant, iubetur etiam sanctus Angelus effundere phialam, ut siccentur & arefcant aquæ fluminis: aut quod eodẽ recidit, arefactis phiala effusa fluminis aquis quatuor mali Angeli soluantur ut noceant. Tres etiã ordines equitũ in sexta tuba cap. 9. v. 16. 17. & c. sunt tres impuri illi spiritus (in sexta phiala cap. 16. v. 13 & c.) ex ore draconis, ex ore bestię, & ex ore Pseudopphetæ prodeũtes. Dicũtur quidẽ similes ranis à quadã sua proprietate, de qua postea agemus: tamen cum iidem dicantur spiritus esse dæmoniorum, edere signa, ire ad Reges terræ, congregare eos ad prælium magni illius diei Dei Omnipotentis, meritò possunt existimari esse tres illi ordines equitum in sexta tuba, qui ab aliis suis qualitatibus aliter describuntur, habentes scilicet thoraces igneos & hyacinthinos, & sulphureos. Sed hæc postea à nobis edifferentur.

Queritur quid hęc Euphrates significet. Sanè sic ego sentio cum aliis quibusdam. Quia Babylonis nomine significatur cap. 14. vers. 8. & alibi, Roma & Romanus Papatus, ideo Euphratis quoque fit mentio, quòd scilicet ad Euphratem condita erat vetus illa Babylon, cuius ista nomẽ gerit spiritualiter. Bene etiã quadrat, quòd tam in tuba, quàm in phiala sexta non tantum mentio fit Euphratis, sed etiam dicuntur sicari eius aquæ: simili enim stratagemate, arefactis scilicet aquis fluminis, quæ Chaldaicam illam Babylonem muniebant, & ab eius accessu propiore hostes arcebant, ipsam cœperunt & ingressi sunt Medi & Persæ milites, & cum suo exercitu Cyrus ac Darius.

Eadem etiam allusione cap. 16. vers. 12. dicitur sicari aquas Euphratis, ut pararetur via regum ab ortu Solis aduentantium. Nam Babylonia ab ortu habet Sufianam, & Mediam, & Persidem. Ut ergò malum illud exitium Babyloni illi priori venit ab ortu: sic Dei Spiritus, huic nouæ Babyloni denuntians teterrima omnia, dicit eos, qui venient ad eam excindendam, esse suo quodammodo, id est nouo quodam modo, reges venientes ab ortu Solis. Paucis rem complector, Si Roma & Romanus Papatus cum suo Antichristo est quædam Babylon: quicquid roboris, potentiæ, virium, opulentiæ habet Romanus Papatus, quibus nitatur, est alter quidam Euphrates: qui autem Romano Papatui pericula vltima quæque creant, sunt quasi duo illi vetusti Reges, Cyrus scilicet & Darius, ab ortu, id est Sufiana, Media, & Perside, cum suis ingentibus copiis venientes.

Cap. 9. v. 15. *Et soluti sunt quatuor Angeli.* Quatuor Angeli dicuntur parati fuisse, ut occidant tertiam partem hominum. Licet quatuor Angeli, quia tamen tertiam partem hominũ, ideo tres fortasse ordines equitũ, vers. 18. Fateor tamen de numeris nõ valde laborandum, ut alibi dixi. Bene autẽ conuenit dici, sexta tuba solui quatuor Angelos vinctos ad magnũ Euphratis flumen, paratos ad occidendã tertiam hominum partem: & sextę phialæ effusione sicari magnũ flumen Euphratem: quia imminutione redituũ suorũ Romapæ Curia, & Ecclesiæ Romanæ omnes appendices, ad persecutionẽ piorũ accenduntur, & in furorẽ vertuntur. Eorũ tamen rabies, cruenta persecutione omnia perturbantium & pios trucidantiũ, non potest efficere quin seruentur ad æternã salutem Dei omnes electi: quod in sexto sigillo, (cap. scil. 7. initio) dicitur, antè obsignari seruos Dei in frontibus ab Angelo habente sigillum Dei viui, quàm quatuor illis aliis (malis scil.) liceat nocere terræ, mari & arboribus. Ergò licet sæuissima sit persecutio, Deus tamen summus, & ad salutẽ suorũ sapiētissimus rerũ omnium moderator, sic ista etiã omnia (quæ perturbatissimè, efferatissimè, & sceleratissimè fiunt à quatuor istis malis Angelis Romanum Papatum defensantibus, & igni ferròq; vindicantibus) tẽperat, ut non pereat Dei electorum vilus. Ideo dicuntur illi Angeli in sexta tuba, parati ad diẽ etiam horamq; non tantum ad annum & mensem, quia ne momentum quidem temporis durare potest persecutio, vltra præscriptos à Deo limites, neque quemquam absumere Deo incio, qui fidelium suorum salutem æternam in mediis persecutionum ardoribus fartam tectam conseruabit, & præstabit intactam tandem. Videri fortasse posset versus primus cap. 7. intelligi debere de quatuor Angelis missis in quatuor angulos terræ ad excindendum totum terrarum orbem vltimo die. Sed præfero priorem expositionem.

Quòd eodẽ cap. 7. v. 4. in sexto sigillo dicitur de centũ quadraginta quatuor millibus signatis ex omnibus tribubus Israë, eò spectat, ut quamuis ab Antichristo instet Ecclesiarum horrenda & penè vniuersalis defectio, & Christianismi labefactatio, & ita Israël in sua cæcitate obdurescat ex malis exemplis Christianorum, seruentur tamen cum aliarum gentium numerosissima illa multitudo, ex Israële quoque non pauci, propter firmitatem electionis Dei ex fœdere factò cum Patribus Abraham, Isaac & Iacob. Ostendit autẽ continuatio sextæ tubæ cap. 10. & 11. quomodo id futurum sit, quia scilicet quantumuis fremẽte & furente Romano Papatu, eiusque omnibus affeclis, prædicatio tamen Euangelij instaurabitur, confirmabitur, propagabitur, & longè latèque sese diffundet, ut seruentur & ex

D. j.

aliis gentibus, & ex ipso Israële secundum Pauli prophetiam Rom. II. (quam ipse illic dicit mysterium) omnes electi Dei. Hoc autè de 144000. millibus signatis ex Israële maximè necesse fuit dici: tum vt occurreretur præfenti scandalo illius ætatis, qua tam infesti erant Euan-gelio Iudæi: tum etiam postea futuræ non minori offensionis in eorum per tot secula obdu-ratione, & peruicacia, eodem tempore, quo Romanus Papatus Christi Ecclesiam vastatu-
rus erat.

Porro cur omitatur tribus Dan ignoro. Non factum est quidem librariorum errore, nam si addantur ex tribu Dan 12000. tota summa efficiet plus quam 144000. Numerus tamen ille ponitur vers. 4. Futile sanè, & falsum prorsus, quod suspicati sunt quidam, idè prætermitti hanc tribum, quia ex ea exoriturus erat Antichristus. Si coniecturis indulgere libèret firmior aliqua ex ipsis historicis sacræ scripturæ libris sumi posse videtur. Nam Iudicum cap. 18. v. 30. vbi concluditur narratio tota cœpta ab initio cap. 17. de illo Micha, & sculptili quod sibi fecerat, cui etiam ædem sacram attribuerat, & domesticum Leuitam esse voluerat cum Ephod & Teraphim, & de Danitis postea sculptile illud argenteum, Ephod & Teraphim abripiantibus, sacerdotemque Leuitam secum abducentibus, vt sculptilis illius sacerdos esset, non in domo vna priuata, sed in tota vna tribu Israëlis: ibi, inquam, totius narrationis conclusio hæc est. Erexerunt autem sibi filii Dan sculptile: Ichonathan autem filius Gerson, filij Manasse, ipse & filii eius fuerunt sacerdotes tribui Dan vsque ad captiuitatem terræ: erexerunt, inquam, sibi sculptile ipsius Micha, quod fecerat cunctis diebus, quibus fuit domus Dei in Silo. Hæc habet cõtextus historiæ in libro iudicum. Corruptus ergo fuit Dei cultus, & sacerdotium fuit profanum in Dan, vsque ad captiuitatem decem tribuum. Initiò quidem & vsque ad captam arcam à Philistinis, contenti fuerunt vna illa imagine Micha, sed post cumularunt idola idolis. Ieroboam certè illic alterum ex duobus vitulis aureis collocavit 1. Reg. 12. Amos cap. 8. v. 14. Viuit Deus tuus Dan. Itaque cum tribus illa in Israële se publicè profanasset (etsi non dubito priuatos illic fuisse nonnullos, aut etiam complures verè pios) & in profano cultu perseuerasset, quandiu incoluit terram sibi à Deo datam, videri posset ignominiosè eius nomè prætermitti in recensendis tribubus Israëlis. Malo tamè dicere, quemadmodum Deut. 33. in benedicendis tribubus Israëlis tacetur à Mose tribus Simeon, sed contineri existimatur sub nomine alicuius aliarum tribuum, propter vicinitatem aut aliam circumstantiam (& quidem Genes. 49. Iacob Simeonè cum Leui coniungit aliquomodo in benedictione) ita hîc in Apocalypsi non exprimi tribum Dan, sed comprehendere sub Nephtali quia ex eadem matre erant nati. Res verò tota hæc non est tanti momenti, vt in eius ratione aliqua inuestiganda, multum nobis sudandum putemus. Video enim magnopere etiam variare ordinem, in nominibus tribuum referendis tota in Scriptura, vt patet ex figura quam hîc subieci.

* * * Obseruatu verò dignum (antequam ad reliqua transeam) quòd locum hunc (vt & paucissimos alios ex eodem libro) sic decantandum sumpsit in templis suis Romanus Papatus, vt impiissimo sacrilegio fœdissimè profanaret: nam in Missa die festo omnium sanctorum, dum pro epistola (quam vocant) legunt ex capite hoc septimo Apocalyp. versum 2. 3. 4. & sequentes vsque ad 13. & sanctissima hæc de centum quadraginta quatuor millibus signatis ex omnibus tribubus filiorum Israël, & de turba multa, quam numerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis & c. detorquent ipsi [clerici scilicet Romani] ad abominandam adorationem, & inuocationem creaturarum, sanctorum nempe mortuorum. Et tamen Bernardus [vtcumque quædam ibi non satis ad analogiam fidei] admonuerat festiuitatem omnium sanctorum dici & esse: omnium, inquit, siue cœlestium, siue terrestrium. Sunt enim sancti de cœlo, & sunt sancti de terra. Itè que eorum qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, aliqui iam in cœlo. Hæc Bernardus.

Cap. 9. vers. 17. *Et qui sedebant super eos habebant loricas igneas & hyacinthinas, & c.* Thoraces igneos, hyacinthinos, & sulphureos referri quis existimare posset ad varios colores vestitus monachorum, sacerdotum, episcoporum, cardinalium & c. partim in suis sacris, partim etiam extra sua sacra. Et tamen tres colores thoracum, ad tria illa referri malo, ignem, fumum, & sulphur, quæ prodibant ex ipsorum ore. Eodè verò spectat (vt ibi diximus) quod quinta tuba vers. 9. thoracas etiam habebant locustæ.

18. *Ab his tribus occisa est, & c.* Cur trium tantum hîc fit mentio, quum versu. 14. dicantur Angeli quatuor fuisse soluti? Respondeo non loqui de Angelis hîc, sed de equorum fessoribus, quorum tres ponit ordines: quidam enim thoraces habebant igneos, alij hyacinthinos, alij sulphureos. Et conuenire hoc videtur cum sexta phiala, capite. 16. versu. 13. vbi tres impuri spiritus, & c. imò & eosdem hîc quoque describi puto, quos hoc cap. in quinta tuba dicebat locustas ex fumo putei abyssi exeutes in terram vers. 3. Nec absurdum est id ipsum variè dici quinta & sexta tuba. Id enim spectat ad maiorem expres-

expressionem: deinde sic significatur continuatio perdurans Anti chrtstianæ tyrannidis spiritualis: in Ecclesia per Papam Romanum, & innumerabilem cateruam satellitum eius. Quadrat etiam, interfici tertiam partem hominum ab igne, fumo, & sulphure, quæ prodibant ex ore istorum, quum & locustæ illæ (quibus idem significatur) prodierint ex fumo putei abyssi, v. 3.

Cæterum numerus ternarius in tribus ordinibus equitum in sexta tuba, quemadmodum & in tribus illis impuris spiritibus in sexta phiala, numerus est certus pro incerto. Placuit enim ternarius numerus potius quàm alius in tuba, propter tria illa ignem, fumum, & sulphur (sicut & equites parati ad prælium dicuntur, vt respondeat descriptio illorum tubæ clangori) in phiala autem sexta ternarius numerus eligi videtur quia respicit visio ad ternarium alterum numerum. tres enim sunt, nempe draco, bestia, & Pseudopropheta, ex quorum ore quoque procedunt tres illi impuri spiritus.

Quod capite nono versu 17. equites illi dicuntur habere thoraces non solum igneos, & sulphureos, sed etiam hyacinthinos, non immeritò dixi respicere ad illa tria, quæ prodibant ex ore istorum, ignem, fumum, & sulphur, vt hyacinthinus color ad fumum referatur. Non ignoro quidem putari à doctis nonnullis ferrugineum hyacinthum dictum à Virgilio non propter colorem, sed quòd funestus, & lugubris crederetur. Non dubito tamen siue vsus ex recta & certa naturæ ratione petitus hoc ferat, siue abusus aliquis inuenerit propter verborum inopiam in tanta colorum varietate, & incertissima commixtione, ferrugineum quoque colorem dici cœpisse hyacinthinum, quem scilicet & impluuiatum dici tradunt, quasi fumato stillicidio implutum. Et Galli quidem infumatum sua lingua dicunt, id est, qui fumi colorem referre videtur.

Cæterum per ignem, fumum & sulphur, quæ prodibant ex ore istorum, quorum ori consentiunt etiam thoraces ignei, sulphurei, & hyacinthini: non dubito quin significetur crudelis persecutio ab istis loricatis equitibus aduersus pios, qui dicuntur ab illis occidi igne, fumo, & sulphure, quæ prodibant ex ore istorum: quia nihil nisi seua piorum incendia cogitant, loquuntur, crepant & spirant Antichristiani illi, totus scilicet clerus Papalis. Tota verò multitudo eorum, quos crudeliter interficiunt, detestantur, & persequuntur isti, maximo in numero esse significatur, cum dicuntur tertia pars esse hominum. Bene autem conuenit quod dicitur versu 20. Nam quibus caudati isti serpentinæque equites, qui & ranis similes dicuntur cap. 16. versu 13. plagas non intulerunt, illi perseuerarunt idola colere, &c. Nec enim malè agentibus infesti sunt Romani clerici, sed piè viuentibus omnibus.

19. *Et in caudis eorum, &c.* Sic versu 10. locustæ illæ habebant caudas similes scorpionum, erantque aculei in caudis earum, & earum potestas nocere hominibus.

Cæterum ne locustarum tantum, quæ in quinta tuba nominantur, habita à nobis ratio videatur, non committendum, ne ranis quoque illis quæ in sexta phiala describuntur, suus à nobis honos dici possit non tributus. Traduntur quidem alicubi mutæ esse ranæ: sed cum istos tres immundos spiritus similes ranis dicat Apocalypsis procedere ad reges terræ totius congregare illos in prælium ad diem magnum Omnipotentis Dei: equidem minimè mutæ sunt hæc ranæ sed longè aliæ. Πηροσφουον enim, vt inquit ille. Et est certè mira Rhetorica Cardinalium, Prælatorum, Sacrificulorum, Monachorum, & totius cleri Romani, qua misero mundo persuadent sui lucrì causa, vt sese ipse miserrimè eat perditum, vt hinc quoque dicitur expressimè. Fateor in sessione septima cōsiliij Tridentini non fuisse habitam orationem, quia vt (vt inquit) reuerendus pater Episcopus sancti Marci Neapolitanus, qui eam habiturus erat, erat raucus. Sed ne tū quidē deserūt ranæ illæ in sua palude (Tridenti scil. vnde postea emerse venerūt Bononiam) coaxare miras blasphemias, quibus synceram doctrinam, & limpidissimos orthodoxæ fidei fontes corrumperent. Ab ranis ciuitatem in Gallia pulsam tradunt probatæ fidei scriptores. ab locustis in Africa: at isti, cum & locustis similes sint in sexta tuba, & ranis in sexta phiala, quid miramur potentissimos Reges regnis suis pulsos, optimos Principes ditione auita spoliatos, sexcentos patresfamilias quotidie modo hinc modò illinc extorres profugere, dum quotidie quoque,

Hæ veterem in limo ranæ cocinere querelam: & eadem locustæ absumptis domesticis omnibus, vel etiam contemptis, externa pabula quærunt, non sine infausto prælagio eorum ad quos penetrant? Ranæ ultra solitū vocales, tempestatis signa esse feruntur: quis ergò non pluuias sibi metuat? quis non earū vim & incursum reformidet? quis non nimbos, procellas, turbines, reliquasque tēpestates? cum hodie garrulæ istæ ranæ, & loquacissimæ nullū vbiq; finē faciant coaxandi, & verissima esse hæc pronostica multis rerum experimētis sæpius compertum, & comprobatum sit. Pulchrè verò ille, sed longè alio, quidem & opti-

mo sensu: rana nominans reprehensores etiam non valde seueros Pontificiæ tyrannidis, & ipsos tamen ingratos Romanæ curiæ, Indicatur, si placet (inquit) clamoribus & importunis anis de cauernis non egredi, sed suis contetas esse paludibus. Non audiatur in consiliis, in palatiis non inueniantur: ad causas, ad negotia, nulla necessitas, nulla trahere possit authoritas.

De voce Armageddon cum plures à doctis efferantur coniecturæ, nec eæ improbandæ in significatione obscura dictionis Hebrææ Græcis literis scriptæ, & quæ non alibi reperitur: nondum tamen mihi constituere licuit, cuiam earum magis inhærendum existimem. Ceterum cum hanc quoque partem libelli nostri iam tradidisset operis typographicis, meditabundus tamen hanc ipsam vocem Armageddon apud me agitarem, venit tandem in mentem coniectura, quam assuere (vt ita dicam) libuit: neque dubito verissimam esse, iudicium tamē cuique suum liberum relinquo, vt par est. Mageddon cum reperiatur proprium nomen in scriptura, fieri posse existimaui, vt Armageddon hîc in Apocalypsi non esset nomen compositum ex Arma & Geddon, sed ex Har & Mageddon, vt sit mons Mageddon. Bene autem quadrare videtur, locum in quem congregantur hostes Dei, siue reges, & nobiles viri, siue priuati, & plebei homines, dici hîc figuratè Har Mageddon, cum Mageddon, quod legimus Zachariæ 12. vers. 11. (qui & Mageddo alibi sæpe) magno luctu insignis sit locus in veteris Testamenti historia, adeo vt prouerbiali propemodum locutione dici illud videatur apud Zachariam, In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Sic enim significat Apocalypsis, horrendum fore luctum aduersariis omnibus Dei omnipotentis, ab eius victoris ira. Mageddo vt & Taanach, vrbes fuisse regias in terra Chanaan, indubitatum est, quæ suos singulæ reges haberent. Ii enim Iosue cap. 12. v. 21. numerantur inter reges terræ Chanaan interfectos ab Israelitis. Vtraque autem & Mageddo, inquam, & Taanach recensentur Iosue cap. 17. v. 11. inter vrbes, quæ sitæ in Issachar & Aser, attributæ tamen erant tribui Manasse in terræ diuisione. Nec dubium est Metropoles fuisse (vrbes quippe regias iam dixi) quæ sua haberent oppida annexa, siue minores vrbeculas. Sic enim illo cap. 17. Iosue, Habitatores Taanach, inquit, & oppida eius, & habitatores Mageddo, & oppida eius. Qua de causa vt primi Regum cap. 9. vers. 15. Mageddo nominatur inter vrbes, quas muniuit Salomon: ita 1. Paralipomenon. 7. versu. 29. Thanaach, inquit, & filia eius, Mageddo, & filia eius. Baan a etiam filius Ahilud, vnus ex duodecim præfectis domus Salomonis, possidebat Thaanach & Mageddo, & totâ Bethsean 1. Reg. 4. versu. 12. Ex his iam apparet, familiare nobis esse debuisse nomē Mageddon (quæ eadem & Mageddo, vt antè dixi) ex ipsa lectione sacræ Scripturæ, quæ eius situm, claritatem, & nobilitatem (vt ita dicam) sic nobis ob oculos ponit. At legimus quoque Iudicum cap. 4. & 5. ingentes illas copias Iabin regis Chanaan (qui regnabat in Hasor cui, non genti currus ferrei erant, & qui oppresserat fortiter Israëlem viginti annis) duce Sisera, qui habitabat in Haroset gentium, periisse iuxta aquas Mageddo: sic enim cap. 5. vers. 19. canit Debora. Et hic est magnus ille planctus pereuntium à cœlesti manu Dei, comparatione quadam notatus præcipuè (vt puto) verbis illis Zachariæ cap. 12. vers. 9. & 11. Et erit die illo, quæram ad perde ndum omnes gentes, quæ venient contra Ierusalem. In die illo magnus erit luctus in Ierusalem, sicut luctus Hadadrimon in planitie Mageddon. Scio doctos complures referre ad interfectum illic à rege Ægyptio sanctum regem Iosiam, neque hoc prorsus excludo, vt postea dicetur. Sed tamen vetusta illa clades, & vniuersalis strages exercitus regis Chanaan in Mageddo facta, in rationem potissimum venire videtur illo Zachariæ loco. fuit enim diuinitus potius immediatè propemodum, quàm humana manu deletus, vt ex ipsa narratione liquet. Nam & Dominus per Deboram prædicit cap. 4. vers. 7. Et pertraham ad te, ad torrentem Kison, Sisera principem exercitus Iabin, & currus eius, & multitudinem eius, & tradam in manum tuam: & vers. 14. dicit Debora ipsi Barac, Surge, hæc enim est dies, in qua tradidit Iehouah Sisera in manum tuam. Nonne Iehouah egressus est ante te? &c. Postea etiam rei narrationem prosequens sacræ historiæ scriptor vers. 15. addit, Et contriuit Iehouah Sisera, & omnes currus, & omnia castra acie gladij ante Barac. Descenditque Sisera de curru, & fugit pedibus suis. Barac autè persecutus est currus, & castra vsque ad Harozeth gentium: & ceciderunt omnia castra Sisera acie gladij. Non remansit ne vnus quidē. Sed canticū Deboræ capite quinto ostendit magis ac magis, quàm opportunè & in ipso (vt dici solet) rerum articulo, Deus tum propitius adfuerit sui Israëlis rebus afflictissimis, & propè desperatis, In diebus Sangar filij Anath, in diebus Iahel cessauerunt semitæ, & ambulantes per semitas ambulauerunt per semitas tortuosas. Cessauerunt villæ in Israël, cessauerunt, &c. Venerunt reges, pugnaverunt: tunc pugnaverunt Reges Chenaam in Thaanach & iuxta aquas Mageddo: desiderabile argentum non acceperunt. De cœlo pugnaverunt stellæ, de viis suis pugnaverunt cum Sisera. Torrentis Kison deuoluit eos, torrentis antiquitatum, torrēs Kison, calcasti anima mea fortitudine. Tunc quafata

fatæ sunt calces equi, à sono pedum fortium eius. Pertinuisse verò hoc ad exemplum perpetuum iræ Dei contra hostes Ecclesiæ, & consolationem piorum, ostendit cantici vltima clausula. Sic pereant, inquit, omnes inimici tui, Iehouah: diligentes autem te, sint sicut oritur sol in fortitudine sua. His positis, iam addo circumstantiarum tot, & tantarum considerationem in huius iudicii diuini tota ratione (qua ad interuersionem vsque deletus est potentissimus exercitus regis Chanaanæ dura seruitute per tot annos opprimētis Ecclesiam) satis ostendere non sine maxima causa factum, vt in prouerbiū transiret, Luctus in Mageddon, quod vsurpauit Zacharias. Dominus quoque Iesus in hac Apocalypsi, cum se omnes semel suos aduersarios Ecclesiam oppugnare pertinacissimè perseuerantes conculcaturum & contriturum dicit, non minùs eleganter & significanter denuntiat, locum illum toti suorum aduersariorum multitudini fore quandam Mageddon, quia nihil illic audietur, præter clamores horrendos, vociferationes, ululatus pereuntium hinc inde, persequente Dei manu vltice. Nec valdè dissimile est illud Ioël, cap. 3. Ecce diebus illis, & tempore illo, quo conuertam captiuitatem Iuda & Ierusalem, & congregabo omnes gentes, & descendere faciam in vallem Iosaphat, & disceptabo illi cum ipsis super populo meo, & super hereditate mea Israël &c. Nam per quandam similitudinem (vt consentiunt ferè interpretes) respicit ad incredibilem illam victoriam de hostibus Ecclesiæ tempore pij regis Iosaphat: vnde & locus ipse nomen accepit Beracha vallis, id est benedictionis. 2. Paralip. 20. vers. 26. Et quidem Ioël id ipsum postea pluribus verbis describit, quæ magnam affinitatem habent cum hoc Apocalypseos loco, & faciunt ad eum illustrandum. Sic enim vers. 9. Publicate (inquit) hoc in gentibus, sanctificate præliū, excitate robustos, venient omnes viri bellatores, Concidite vomeres vestros in gladios, & falces vestras in lanceas: debilis dicat ego sum robustus. Congregamini & venite omnes gentes, congregamini in circuitu, illic polternet Iehoua fortes tuos. Expergesiant & ascendant gentes ad vallem Iosaphat, quia illic sedebō ad iudicandum omnes gentes ex circuitu &c. Populi Populi in valle concisionis, quia propinquus dies Iehouæ in valle concisionis. Imò quod ibidem legimus versu decimo tertio. Mittite falcem quia maturuit messis: venite, descendite quia plenum est torcular, refertæ sunt cuppæ, quia multiplicata est malitia ipsorum, &c. magnam affinitatem habet cum Apocalypsi capite decimo quarto v. decimo quinto. Ergo Dominus hic minimè obscure loquutus est, loquiue voluit, hac figura sermonis vtens, imò apertissimè, si scripturas assidue legere veteris, nouique Testamenti perseueratum esset omnibus seculis publicè pariter, & priuatim; vt sancti monuerant Apostoli, & indubitatum est factum, fuisse felicissimo illo seculo, ac primò flore Apostolicarum Ecclesiarum, qui paulò post, heu citò nimis, hominū partim perfidia, partim incuria, deflorescere multum cœpit. Hæc ergò præcipua eaque vetustissima causa, vt dixi, fuit Mageddon vsurpandi pro loco magnæ cladis, & funestissimi luctus. Accedunt postea eiusdem significationis alia inferiora adminicula: vt quod 2. Reg. cap. 9. Ochozias rex Iuda, persequente ipsum Iehu vltionis diuinæ administro ad excindendam domum sanguinariam Achab, dicitur fugisse vulneratus in Mageddo, & ibi mortuus: item quod pius rex Iosias ibidem prostratus fuit à Pharaone Necho. Siquidem sancti regis mortem luctu prosequuta est etiam solenni & anniuersario posteritas ex Ieremiæ carmine lugubri. Et hæc quidem satis fore credo ad huius loci Apocalypseos enodationem. Nam quòd Megiddo, & Megiddon habet Hebræa veritas, hic autem Mageddon legimus, leuiculū est, cum certum sit faciles esse eiusmodi immutationes ex vsu communi plebeiorum, quòd alij etiam postea abducuntur. Et quidem quòd vulgata, versio Latina veteris Testamenti habet vbique Mageddo, & Mageddon, indicio est sic quoque habuisse versionem Græcā septuaginta interpretum, etiam si demus non esse eam quæ hodie extat. Quòd enim illo Zachariæ duodecimo capite redditur Græcè *μεγαλωθήςται ὁ κοπέλος ἐν Ἱερουσαλήμ, ὡς κοπέλος ῥαβῶν ἐν πεδίῳ ἐκκοπτομένων*, magnus erit planctus in Ierusalē, sicut planctus malorum granatorum in campo succiforum, &c. manifesto factum est errore. Harmageddon etiam dici, id est montem Mageddon in Apocalypsi, cum Zacharias campum vel planiciem Mageddon dicat, mirum non est, siquidem tota regio Chanaan montuosa esse perhibetur vt planicies tanta nulla esset, quæ montes nullos nisi remotissimos haberet. Eodem ergò sensu, optima ratione, legitur & campus Mageddon in Zacharia, aut alibi, & mons Mageddon hic in Apocalypsi. Et tamen hic, non planiciem Mageddon, sed montem Mageddon potius dici credo, quia Deum excelsum in sede eminentem isti inuadere conantur, & de suo gradu deicere ac deturbare: sed dum pugnat ille, quasi ex loco superiore (nam reuera non minùs Deus vallium est, quàm montium) ipsi autem montem conscendere nituntur, vt eum expugnent, fit illis totus mons (id est omnis eorum conatus) quasi mons quidam Mageddon, luctuosissimo scilicet euentu, &

omnibus ipsis ad vnum vsque perniciosissimo superbix suæ exitu. Scribi verò Ἀρμαγεδδών in nostris codicibus leni spiritu, cum Hebræa, eo, quem afferimus sensu, aspirationem habeant, nempe literam He, neminem remorari debet, qui sciat librariorum olim in describendo sæpe solitos prætermittere eiusmodi.

Porrò sic accipienda esse hæc eò magis confirmor, quòd nisi Mageddon proprium esset nomen loci, & satis notum ex Scripturæ lectione, non minùs eius vocis significationem expressisset Græca dictione Ioannes, quàm cap. 9. vers. 11. regem illum locustarum abyssi dixit esse, cui nomen Hebraicè Abaddon, & Græca lingua Ἀπολλύων. Fateor, Alleluia, Amen, & similia legi in Nouo Testamento sine interpretatione: sed sanè communi vsu Ecclesiarum omnibus notissima. Longè verò aliter haberet in Mageddon, siue Harmageddon, nisi appellatio loci esset. Quòd si dicat quis, saltem Ioannem Har Mageddō interpretari oportuisse esse Græcè, ὄρος Μαγεδδών: respondeo, quum Mageddon intelligi debuerit ex lectione Scripturæ, esse loci denominationem, & hîc ipse dicat, locum qui vocatur Hebraicè, &c. satis illud dictum fuisse. Sic videmus dictionem vnam, cuius alioqui non erat per se difficilis perceptio, multum nos torfisse. Nos longiori sermone explicandam nunc putauimus, vt rei veritas apertior elucesceret. Sed hæc hæcenus. Nunc verò transeamus ad ea, quæ sequuntur in sexta tuba.

Cap. 10. totum, & vni decimi pars prior.

Non dubium est hæc quoque pertinere ad sextam tubam. Nam vers. demum decimo quinto cap. 11. dicitur Angelus septimus clausisse tuba, & ibi quinque versibus describitur septimæ tubæ effectus. Huius autem appendicis (vt ita dicam) sextæ tubæ, hæc est summa, hocque argumentum. Etiam si omnia in Ecclesia turbarit, euerterit, pessum dederit, atque etiamnum turbare, euertere, pessundare, perseueret Romanus Papatus, etiam si horrenda impendent multa toti mundo propter Romanum Papatum: tandem tamen rursus Dei singulari misericordia, & potentissima efficacia prædicatum iri Euangelium.

Vers. 1. *Et vidi alium Angelum fortem descendentem de caelo, amictum nube, & iris in capite eius: & facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columna ignis. Et habebat in manu sua libellum apertum, &c.*

Sic augusta & diuina facie describitur Angelus, qui daturus est librum (Euangelij scilicet volumen veluti postliminio reuersum) ad prophetandum multis populis: quia cælestis est doctrina & pacis nuntia. Describere enim incipiet versu octauo in taurationem illam celebrem prædicationis Euangelij, quæ nostra ætate extitit: & idèò vers. 11. non dicit simpliciter, Oportet te prophetare coram populis, &c. sed, Oportet te iterum prophetare, &c. continuat autem eiusmodi descriptionem, postliminio redeuntis verè & genuinæ faciei Ecclesiarum Christianarum per prædicationem Euangelij, vsque ad versum 15. cap. 11.

Vers. 8. *Et audiui vocem de caelo iterum loquentem mecum, & dicentem, Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, & super terram, &c.* Nota distingui quodammodo hunc librum ab eo, de quo agebat caput quintum Apocalypsis, vt & tunc attigi. Illic enim proponebatur liber septem sigillis ob signatus, què nemo aperit præter Agnum. Omnium scilicet consiliorum Dei arcanorum conscius cum Patre Filius, Patris quippe ipsa sapientia. Hîc autem alter quidam habetur liber apertus, qui datur Euangelizaturò populis, linguis, & nationibus. Et ille quidem dicebatur liber scriptus intus, & à tergo ob signatus sigillis septem, ἑβλίον, &c. hîc autem libellus apertus βιβλαρίδιον ἀνεῳγμένον. Et si enim vtrumque est diminutiuum nomen, non tamen vnus & eiusdem formæ. Itaque prior dicitur liber, alter verò libellus: aut si priori illi damus libelli nomen, hic posterior erit libellus. Neuter verò dicitur per contemptum, quin potius sic nobis tota Dei voluntas, & amabilis & veneranda esse debere indicatur, quippe & iusta, & sancta omnis. Cæterum hinc potest confirmari quod docendi gratia, vbi agitur de Dei prouidentia, tradunt docti & pij complures, duplicem esse Dei voluntatem, vnam occultam, alteram reuelatam. Nec tamen eo sensu, quo contumeliosè quidam argutari contra Deum volentes, varium, duplicè & mutabilem eum faciunt, quorum damnatio iusta est, inquit Paulus Rom 3 similes nebulones compescens sanctissimè, iustissimè, & potentissimè. Sed duplicem scilicet Dei voluntatem, docèdi causa (vt dixi) nominat cordati, & pij doctores eo sensu, quo Paulus exclamat Rom. 11. O profunditatem diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ ipsius! quis enim cognouit mentem Domini? aut quis illi à consiliis fuit? aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniã ex illo, & per illum, & in illū sunt omnia, Ipsi gloria in secula. Amen. Eo itè sensu, quo idè Paulus Eph. 3. Vocationem gentium, mysterium dicit absconditum, quod aliis seculis nõ innotuit filiis hominū, quem admodum nunc reuelatum est sanctis Apostolis & Prophetis per Spiritum: & quo sensu ibidem Paulus prædicationem Euangelij nominat Mysterium Christi, imperuestigabiles

biles diuitias Christi: & in ea dicit innotescere, ac patefieri principatibus, & potestatibus quæ in cælis sunt, multiformem illam sapientiam Dei, per Ecclesiam, secundum propositum æternum, quod constituit in Christo Iesu Domino nostro. Sic, inquam, optimè inter se consentiunt liber ille Dei septem sigillis obsignatus, quem nemo aperit præter Agnum, & libellus ille alter Dei apertus, qui datur seruis Dei ad Euāgelizandum, & dulcis est in eorum ore tanquam mel: sic manet vnus idēque Deus, semper sibi ipsi, suisque omnibus sanctissimè contans: cui soli sapienti, Regi seculorum immortalī & inuisibili honor, & gloria in omnia secula, Amen.

Impudentissimè ergo mentiuntur, & monstrosas etiam blasphemias euomunt (quas auarissimi typographi in publicum emittere non verentur) qui Deum dicunt tanquam puerum vel stultum proponi primò, qui antecedenti, id est, remissa & imperfecta quadam voluntate velit omnes homines saluare: deinde eundem introduci quasi iam virum vel sapientem factum, qui consequenti, id est, perfecta, constanti, & efficaci voluntate velit eos tantum saluos facere quibus gratiam suam, aliasque virtutes diuinas tanquam alas cælestes dare decreuerit: reliquis autem omnibus, quia sine hac, quam dare noluit, gratia, ad vitæ sanctimoniam peruenire, vel in eadem perseuerare nequiverunt, sed necessariò in quædā peccata inciderunt, implacabiliter irasci: eosque, quasi ipsi contra eius æternam electionem ac prædestinationem à peccatis tandem abstinere, sicque saluari potuissent, nõ autem voluissent, æternis etiam ignibus excruciare. Neque enim sacrosanctæ scripturæ alium nobis Deum quàm sapientissimum proponunt verissimè & constantissimè. Quòd autem publica in Ecclesiis Euangelij prædicatione ad fidem & pœnitentiã exhortatur omnes, ideòque ad salutem vocat, nec tamen seruantur omnes, non repugnat eius sapientiæ: sed potentissimæ eius bonitatis & misericordiæ, seueritatis & iustitiæ sapientissimum est testimonium.

4. *Obsigna quæ loquuta sunt septem tonitrua & ne scribas.* Quomodo verò obsignare iubetur nihil scribēs? Noluit Deus scribi, quia ea sunt, quæ dabuntur filiis Dei in gloria Christi post vltimam diem, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec ascendit in cor hominis. Obsignari tamen vult, quia certissima sunt, prout ea audiuit Ioannes. Ideò cap. ii. v. 19. vbi dies iudicij describitur, commemorantur item tonitrua, sed expressiùs: addit enim fulgura, voces, tonitrua, terræ motus, & grando magna.

Caput II. vsque ad ver. 15.

Cap. II. v. 1. *Surge & metire templum Dei, & altare.* Fructus prædicationis Euangelij, nempe amplitudo templi & altaris, multitudoque adorantium in eo describitur. Iubetur excludere atrium, quia prædicatione Euangelij credētes omnes fiunt Deo suo sacerdotes, & Leuitæ: increduli autem omnes sunt veluti in atrio, quod hodie nullo respectu est pars templi, sed planè extra templum, & excluditur ac reiicitur longissimè à templo, & vrbe sancta, id est, Dei Ecclesia.

Verf. 4. *Dabo illam scilicet vrbe sanctam duobus testibus meis.* Puto duos tantum nominari testes, non autem septem (vt septem candelabra cap. i. verf. 20. erant, & septem stellæ, id est, Angeli Ecclesiarum septem, & septem Ecclesiæ) propter paucitatem fidelium Euangelistarum in hac vltima restitutione, & reparatione Ecclesiarum Christi: propter exiguum, inquam, numerum syncerorum ministrorum Euāgelij, præ ingenti numero & prope infinita multitudine ministrorum Antichristi, & propugnatorum Romani Papatus. Vt autem hic per duos Prophetas designantur omnes Euangelij ministri: sic & per tres Angelos, cap. 14. v. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Verf. 3. *Diebus mille ducentis sexaginta.*

Conficiunt annos tres menses quinque & dies tredecim. Ita quum dicat versus secūdus profanos calcaturos vrbe sanctam (persecuturos scilicet Ecclesiam Christi) mensibus quadraginta duobus, id est, tribus annis & sex mensibus: significat nunc versus tertius prædicatum iri publicè Euangelium, etiam dum tyrannide Papatus premuntur Ecclesiæ multe: sed & interruptionem factum iri prædicationis, durante tum & recrudescente illa tyrannide, quia non potest tota extirpari, & nouis valde concussa confirmatur aliquantulum adminiculis. Ita v. 7. 8. 9. 10. hanc duorum numerorum, siue duplicis spatij temporum collationem explicant. Versus autem II. promittit, etsi non extinguetur totus Papatus, vim tamen & libertatem prædicationis Euāgelicæ subinde exortituram. Eundem numerum habes cap. 12. v. 6. sicut ibidem verf. 14. alter ille numerus quadraginta duorum mensium significatur per tempus, tempora & dimidium temporis. Nam quod nonnulli existimant dies 1260. non aliud esse quam menses 42. quia totidem menses si singuli triginta dierum esse constituantur, numerum illū efficiant dierum 1260. probabile fortasse est, nec prorsus repudiandum. Non existimo tamen Apocalypsin in pauculis hisce versibus, & quidem cōiunctissimis, secundo scilicet & tertio, sine causa designationem temporis sic variasse. Quare expositio illa

D. iij.

prior meritò videri queat Ioannis, & Apocalypsis huius consilio magis consentanea. Sic ergo statuo. Anni tres quorum singuli 365. dierum (scribebat enim Ioannes hæc in ditione Romani imperij, & quum iam rationem anni quam habemus constituisset Iulius Cæsar, imò etiam quod maximè ad rem facit, scribebat de rebus Romanis, infinito scilicet scelere futuri Romani Papatus) faciunt dies 1095. Sunt autem menses 36. Apocalypsis ponit cap. 11. v. 2. menses quadraginta duos. Ita addendi sunt sex mensium dies priori summæ. Sumendi verò primi sex menses in anno, Ianuarius dierum 31. Februarius 29. (Nam cum tres anni & sex menses numerentur, sunt hi sex menses in anno quarto, qui est Bissextili) Martius 31. Aprilis 30. Maius 31. Iunius 30. Horum sex mensium dies sunt 182. quos si addas diebus 1095. facient dies 1277.

Et quidem cap. 12. (vt iam attigi) similis quædam differentia in designando temporis spatium, esse videtur vers. 6. & 14. Nam versu 6. dicitur mulier (id est, Ecclesia) fugere in solitudinem, vbi habet locum paratum à Deo: vt illic alant & pascant eam (*ἵνα ἐκεῖ πρέσβωσιν αὐτῆς*) diebus 1260. Significat scilicet quòd Prophetæ illi duo prophetates diebus 1260 hoc modo pascant Ecclesiam totidè diebus licet profugam, & solitariam. Versus autem 14. datas dicit mulieri alas duas aquilæ illius magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur, & pascitur (*ὅπου πρέσβεται ἐκεῖ*) per tempus, & tempora, & dimidium tēporis. Hic (14. scilicet versu cap. 12.) sic poni videmus non iam dies 1260. sed tempus, tempora, & dimidium temporis, id est, tres annos & sex menses, qui efficiunt 42. menses, id est, dies 1277. Ita (meo quidem iudicio) significatur, toto Romani Papatus tempore, dum sanctam urbem conculcant ipsæ gentes mensibus 42. (id est, vsque ad seculi consummationem, quæ Romanum quoque Papatum penitus abolebit) partim extra ordinem suscitari à Deo quosdam qui pascant Ecclesiam (sed non esse perpetuum per omnes ætates Romani Papatus, vbi multa est interruptio sacri ministerij extraordinarij, ordinarium autem nullum est) partim etiam cum nulli sunt pastores qui eam pascant, pasci tamen ipsam, & aliis miris quibusdam modis, & occulta Dei prouidentia, vbi vocale nullum ministerium extat: idè prior loco cum dixisset *ἵνα πρέσβωσιν* pluraliter & actiue, postea dicit *ὅπου πρέσβεται* non solum passiuè, sed quasi impersonaliter: nec debet nimis subtile videri hoc discrimen inter *πρέσβωσιν* & *πρέσβεται*, cum simile etiam aliquid agnoscat Calvinus inter illa Pauli Rom. 9. vers. 22. 23. *κατήρτισα μὲν & ἀποροίμασεν*, quod & ipse quoque Petrus Martyr annotat, de reprobis loquens, & vasis iræ, Paulus mavult dicere *κατήρτισα μὲν εἰς ἀπώλειαν*, quàm *ἀκατήρτισεν ὁ Θεὸς εἰς ἀπώλειαν*, vbi autem de vasis misericordie agit, *ἀποροίμασεν*, inquit, *εἰς δόξαν ὁ Θεός*: quia diuersa loquendi forma asperitatem prioris membri lenire voluisse videri potest (vt colligitur ex Caluino) & quia etiam à seipsis intelligi possunt esse aptata (inquit Martyr) ad interitum vasa iræ, quia scilicet habent homines in seipsis, & à seipsis corruptionem, & vitium, etiam à Deo quoque aptantur ad interitum, qui eos reprobat ab æterno, & postea ita exigentibus eorū meritis excæcat & indurat. Postea autem cum agitur de electione, quoniam in nobis nulla habemus initia pietatis, nedum ex nobis, idè disertè nominavit Deum, Quæ Deus præparauit. Ita 12. cap. Apocalypsis vers. 6. Ecclesia habet locum paratum à Deo vt illic alant eam, quia Deus pastoribus quos extra ordinem excitat præcepit oppugnare Romanum Papatum, & pascere Ecclesiam. Versu autem 14. Ecclesia volat in locum suum, vbi alitur, à Deo scilicet nullis etiam adhibitis ministris, qui ex mandato eam pascant, quia id non fert tyrannus Papatus.

Amicti faccis. Non designat supersticiosum amictum: sed hac sermonis figura, vel significat prædicationem Euangelij, perpetuam fore pœnitentiæ doctrinam, vel Euangelij ministros ministerium sum obituros magnis in rerum etiam suarum angustiis, in egestate & penuria, vt vilissimo vestitu vti cogantur etiam. Prophetas pilosis vestibus indui solitos patet ex cap. 13. v. 4 Zachariæ. Dicuntur etiam Dei Prophetæ prophetare amicti faccis, per antithesin quandam ad Antichristi Romani sacrificulos & monachos, qui in nefandis suis sacris vestiuntur pannis holosericis, argenteis, aureis, & sæpe rigent propemodum toti auro & gemmis. Contrà ergò Dei Prophetæ contenti dicuntur esse simplici amictu in prophetando etiam, vt propemodum faccis induti videantur. Hinc tamen commendari videtur in ministris Ecclesiæ modestia & simplicitas in vestitu, vt neque declinent ad nobilitatis ostentationem, nec ad elegantiæ muliebris affectationem, nec ad militarem quandam vel leuitatem, vel varietatis auiditatem: sicut nec ad hypocritarum Eremitarum quorundam ferream seueritatem, aut monachorum supersticiosum etiam amictum. Et hæc quidem de privato eorum cultu. Cæterum in sacris etiam, Ecclesiasticæque actione omnino tutius esset eos non aliter amictiri, quàm alibi soliti sunt ipsi facere. Rem tamen fateor esse indifferentem aliquando, aliquomodo, & aliquatenus, vt de ea non sit peruicaciter contendendum, modò tamen nequid nimis. Semper enim verendum ne vel Antichristianorū sacrificulorum

notas nonnullas, & reliquias retinere velle videamur, vel veteris Testamēti vmbra aliquas (quas abolitas esse iam diu oportuit omnes) in vsum reuocare: quorum vtrunque offensio- nem pareret. Quare omnium optimum est, Apostolorum & totius illius seculi simplicissi- mam simplicitatem amare & seruare, quos certissimum est non aliter vestiri solitos in sa- crorum Christianorū tractatione, & administratione omni, quā in reliquis vitæ partibus,

4. *Hi sunt dua illæ oleæ.* Alludit ad illud Zachariæ cap. 4. v. 3. candelabrum aureum, & c. & duas oleas, de quibus quærenti Prophetæ respondetur. Illi duo filij olei, stantes coram Domino vniuersæ terræ, quos beatæ memoriæ vir & fideliss. Ecclesiæ Basiliensis Pastor ac Doctor O Ecolampadius rectè interpretatur Apostolos & Prophetas Ecclesiæ Christianæ.

5. *Ignis prodit ex ore ipsorum qui deuoret.*

Vis prædicationis Euangelij est quasi ignis deuorans Euangelij persecutores, & aduer- sarios omnes: suo modo, inquam, eos interficiens. Ideò addit *ὅτι* vt significet non esse oc- cisionem aliquam externam & visibilem oculis hominum, sed spiritualem, Dei scilicet iræ intus ipsos confumentis.

6. *Hi habent potestatem claudendi cælum.* Figuratè significat fore vt Deus Euāgelij con- temptum puniat, passim in populis totius terrarum orbis, cæli immoderatis ardoribus, qui agrorum sterilitatem inducant variis morborum generibus: vt euenire necesse est, vbi san- guineæ, venenatæ, vel minimè potabiles sunt aquæ hominibus & pecoribus: denique o- mni calamitatum genere.

7. *Porro cum fuerint suum testimonium.* Id est, cum instabit Deo sic volente finis eorum vitæ, & Deus ex ministerij laboribus in beatam quietem eos reuocare volet, tum permittet bestię eos vincere & occidere, cuius dentes quantumuis rigentes à tali morsu arcebat diui- na sua manu. Simul ergò significatur, futurum Dei prouidentia & benedictione, vt singuli fideles Euangelistæ, modò hi, modò illi, modò hîc, modò illic prædicent Euangelium, ne- que possit eorum prædicatio impediri, aut in totum tolli Antichristi tyrannide, quin ad tempus saltem aliquod veritas audiatur ex eorum ore, in cuius testimonio immoriantur quoque ipsi crudelissimè cæsi ab Antichristiana factione.

Bestia quæ ascendit de abyssu. Emphatici sunt articuli, quos Latinè sic exprimas, Illa be- stia, ascendens scilicet illa ex ipsa abyssu. Est autem tam illa ipsa Bestia, quæ cap. 13. vers. 1. di- citur ascendere è mari, quā simul & altera eius comes, & quasi coniuncta, ac consentiens cum ea, ascendens è terra cap. 13. v. 11. Caterùm cap. 17. v. 3. Bestia coccina est prior bestia è mari ascendens in cap. 13. & mulier insidens Bestiæ coccinæ cap. 17. est posterior quæ nomi- natur Bestia ascendens è terra, cap. 13. Vt enim cap. 13. v. 12. dicitur posterior Bestia exercere omnem potestatem prioris in eius conspectu: sic cap. 17. vers. 3. Meretrix illa dicitur inside- re Bestiæ coccinæ, & ibidem vers. 8. Bestia coccina, cui insidet mulier meretrix dicitur a- scensura ex Abyssu. Ergò Ascendere ex mari cap. 13. & ascendere ex Abyssu cap. 17. idē sunt. Ascendere autem ex terra cap. 13. & insidere Bestiæ coccinæ cap. 17. rursus idem sunt. Est ve- rò & Bestia ascendens ex mari cap. 23. & Bestia coccina ascendens ex Abyssu cap. 17. ipsum Imperium Romanum. Deinde, & Bestia ascendens ex terra, exercens omnem potestatem prioris (ascendentis ex mari) in eius conspectu cap. 13. & mulier meretrix insidēs Bestiæ coc- cinæ cap. 17. est ipse Papatus Romanus. Benè ergò conueniunt inter se descriptio Romani & Imperij, & Papatus in cap. 13. & eorundem alia descriptio in 17. Sed hic locus in quo nūc versamur cap. 11. vers. 7. (breuius scilicet loquens) nomine Bestiæ ascendētis ex Abyssu com- prehendit simul vtrunque, id est, tam Imperium, quā Papatum Romanum: siue (quodi- dem est dictu) repræsentat Bestia ascendens ex Abyssu, cap. 11. v. 7. tam Bestiam ascendentem è mari cap. 13. quā Bestiam ascendentem ex terra eodem cap. 13. item eadem Bestia ascen- dens ex Abyssu hoc cap. 11. v. 7. complectitur & significat tam Bestiam coccinam ascenden- tem ex Abyssu cap. 17. quā mulierem meretricem, quæ eodem cap. dicitur insidere bestię coccinæ. Porro paulò aliter cap. 16. v. 13. & cap. 19. v. 20. & cap. 20. v. 10. Romanum Imperium dicitur Bestia: ipse Romanus Papatus, Pseudopropheta nominatur *κατ' ἐξοχλῶ*, & habes il- lo priore loco consentientes voluntates Draconis, Bestiæ, & Pseudoprophetæ. Sed in eo differt hic locus cap. 11. v. 7. à gemina descriptione earundem prorsus rerum in cap. 13. & 17. quòd hîc in genere tantum, & breuiter attinguntur, quæ distinctiùs, clariùs, & particula- riùs, longiorique sermone postea describuntur bis, cap. scilicet 13. deinde & 17. Hunc verò sæpe sacris scriptoribus esse morem, sciunt docti, & nos nunc allatis exemplis confirmare possemus, nisi ad alia huius libri festinandum esset. Ergò Antichristianam à Romanensi se- cta tota persecutionem in pios Christi seruos & Euangelistas, vna breuissima sententia, sed expressissima, depingit hîc cap. 11. v. 7. At cap. 13. Romanensis illius sectæ, tanquam corporis vnus, membra quædam præcipua, aut etiam plura capita, distinctè proponit, & suis ornat coloribus, ac quo nexu inter se cohæreant, apertissimè loquitur, & quid agant, dicant, ac co-

gigent, edifferit. Eadem ipsa omnia rursus aliter pertractat cap. 17.

Porro cum Beltia nominatur Imperium Romanum, vel Romanus Imperator, non cedit hoc in dedecus piorum Principum, aut bonorum Imperatorum, quemadmodum cum Saul reprehenditur, non existimandum est reprehendi, & infamari regiam dignitatem in Dauide eius successore. Sic etiam cum Achas improbus hypocrita, sedens in throno David arguitur ab Isaia, & sermone quidem generali, quasi tota domus David eodem inuoluitur crimine, Audite nunc domus David: an parum est vobis, hominibus molestos esse, nisi Deo quoque meo sitis molesti? nihil hoc imminuit laudes pij Ezechiae, nec desinit Deus glorificari in egregiis regis illius virtutibus, de quo dicitur, Ecce in iustitia regnabit Rex: & Principes in iudicio præerunt. Et erit ille vir velut latibulum à vëto: receptus ab imbre: riuu aquarum in terra arida: umbra magnæ rupis in terra laboriosa. Ieremias cap. 22. & Iechanian simulachrum contemptum, contritum vas in quo non est oblectatio, dicit, quemadmodum etiam Eliakin patrem eius arguit superbiam, & immoderati luxus, iniustitiæ, ac tyrannidis: & simul tamen Iosiam pium regem vita functum, auum Iechoniae, patrè autem ipsius Eliakin magnis extollit laudibus: Pater tuus (inquit) an non comedit, & bibit, & fecit iudicium, & iustitiam? tunc bene fuit ei. Iudicium iudicauit pauperis, & egeni, tunc bene. An non hoc est nosse me, inquit Iehouah. Quoties etiam Ezechiel cap. 19. eosdè sancti regis Iosiae filios, leones nominat, & leunculos, leonumque catulos, propter crudelitatem, & ferocissimam rapacitatem, leonæ etiam matris cuiusdam filios. An verò propterea non dixerat in summæ laudis significationem de Ezechia Isaias, De radice colubri nascetur Regulus, & fructus eius Serpens ignitus? ignomiosum certè minimè fuit Ezechiae sancto regi, dici serpentè Regulum, & Preterem, quia quo sensu id de eo prædicetur sequentia ostendunt: Et pascentur primogeniti pauperum, & inopes securè accubabunt. Formidandus scilicet impiis & sceleratis, Ecclesiae præcipuè aduersariis, benignum se pastorem bonis omnibus exhibet, & defensorem iniuste afflictis. Sic omnino, nec Illustrissimis sacri Romani Imperij Electoribus, nec ipsis Romanis Imperatoribus sinistrâ notâ vllam inurit, Bestiam dici Romanum hîc imperium: iis, inquã, ipsorū omnibus, qui fideliter procurabūt, vt extet illud iã olim toties celebrarū, Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. Amen. Amen.

10. *Hi duo propheta cruciauerunt eos qui habitabant super terram.* Dicuntur cruciassel incolas terræ ipsi Propheta, & quia eis imputat mundus quæcunque ab irato Deo immittuntur flagella propter Euangelij contemptum: & quia prædicatio Euangelij, quam sunt ex offi incolæ terræ, existimatur ab ipsis cruciatus & tormentum.

11. *Et post tres dies & dimidium.* Dicuntur post tres dies resurgere, quia Deus prioribus seruis suis trucidatis alios subinde excitat Ecclesie doctores, vt iidem illi videantur resurrexisse, obstupescantibus præ pauore aduersariis: quemadmodum Herodes ille Baptistam, quæ obtruncarat putat resurrexisse, vbi audit esse, qui eadem doceat, imò etiam signa & miracula edat.

12. *Et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos.* Videtur hîc notari id hominum genus, quos aliquoulsque mouet admirabilis Dei prouidentia in renouando Euangelio, & Christi seruorum constantia eius professionem firmam retinentium: deinde & sobolescentis in dies mediis in persecutionibus læta Ecclesie multitudo: sed qui non eousque afficiuntur, vt sese ipsi ingenuè Christo adiungere velint. Stupent scilicet toti ab mirabundi, nec tamen seridè se commouent, vt relicto Antichristo, in Christi castra audeant transire.

Quia illis diuinū aliquid subolet nostra doctrina (vt rectè inquit Calvinus) religio est illis eã prorsus contènere: sed tamen exitalibus laqueis detinet eos Satã, vt non solum sibi consulere metuant, sed consultò fugitent oblata in salutem remedia. Vident, & probant quæ & sancta, & vtilia sunt, & tamen vel in deteriora feruntur, vel in ceno suo torpent. Eiusmodi fuit nostra ætate magni nominis quidam, & eruditionis eximia vir, qui Lutherum alloquens, sic etiam scribere est ausus: Videbam eruditos homines pedibus in tua dogmata discedere, perspiciebam fatalem quendam orbis fauorem, animaduertebam quò vehementiùs à Theologis ac principibus obsistebatur, hoc latius propagari, ac magis inualescere negotium: ex his ratiocinabar, rem nõ sine numine geri. Itaque decreueram spectator esse tuæ tragediæ, sic apud me cogitãs iuxta Gamalielis sententiã, Si Deus hæc mouet, nõ est meũ resistere: sin aliunde ortũ est quod agitur, sua sponte dissipabitur. In actis Apostolorũ legimus, Ceterorũ nemo audebat se illis cõiungere. Simili religione ablinebã vestro negotio, &c. Hæc vir ille magnus sed nõ perinde simplex, & pius, de Lutheri Euangelico negotio. Talia verò de se vltro cõfidentis, quisnã piorũ nõ respõdeat, Serue nequã ex ore tuo te iudico.

12. *Et audierunt vocem magnam de caelo, dicentem Ascendite huc.* Omnes, quotquot fuerint fideles Ecclesie ministri, & Euangelij præcones, gloria cœlesti tandè donatum iri significatur iuxta illud 2. Timoth. ca. 4. v. 7. Cursum consummaui, seruaui fidem, &c. reposita est mihi

est mihi iustitiæ corona. & Daniel. cap. 12. v. 2. Multi ex dormientibus, & c. euigilabunt, & c. & prudentes fulgebunt quasi fulgor expansionis, & qui iustificant multos, sicut stellæ in seculum, & seculum. Vt autem hîc post duorum Prophetarum ministerium (sub quibus intelliguntur omnes Euangelij præcones) eorum mors crudelis, deinde ascensus in cœlû gloriosus notatur: sic cap. 14. v. 6. 7. 8. 9. 10. 11. post trium angelorum prædicationem (qui significant omnes Euangelij ministros, vt & dixi cap. 11. v. 4.) persecutio insinuat per nomen Patientiæ sanctorum, vers. 12. deinde felicitas cœlestis Euangelistarum post mortem, v. 13.

13. *Et in illa hora factus est tremotus magnus: & decima pars ciuitatis cecidit.* Vt initio huius Methodi dixi, breuem faciens partitionem totius Apocalypsis: hîc significatur, hac figura sermonis, Deus miris modis (vt in manu eius sunt omnia) terrere, affligere, contundere, discerpere, & potentissimè contere Antichristum, & totam Antichristianâ sectam, miseramque hominum multitudinem, qui nefarium caput illud adorant. Ergò dum exultat Papa Romanus, superbissimèque lasciuit, dum ei ex omnibus gentibus applaudunt putidî assentatores, mercenarij, rabulæ, & serua mancipia, dum cæca simul ipsa, & sæpiùs excæcata misera plebecula, pascitur piorum suppliciis, & lætatur effuso innoxio sanguine, obbrutescens magis ac magis in stulta superstitione, sibi que placens in exitiali ignorantia Christianismi: Deus interim horrendo terræmotu totam ita urbem concutit, vt decima eius pars cadat: id est, sic Papatum Romanum, quàm longè latè que patet apud varias gentes, exagitat, & quatit, vt vires eius non parua ex parte debilitentur. Vrbs enim quæ hîc nominatur, ea est, quæ ver. 8. dicebatur Vrbs magna, quæ vocatur Spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus noster crucifixus est: Imperium scilicet Romanum, cum Papatu Antichristiano inde exorto.

Oecisa sunt in terra motu nomina septem millia. Pro innumerabili hominum multitudine. Sic enim ferè Scriptura septenarium numerum libenter vsurpat.

Et reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cœli. Id est, resipuerunt, & verè ad Deum sunt conuersi. Deus cœli hîc emphaticè opponitur diis terræ, simulachris scilicet, & Romanis Pontificibus, qui & dij in terra dicuntur. Vt autem v. 11. id hominum genus notari diximus, qui Euangelium aspernantur tantùm, non etiam persequuntur, qui tamen suo & ipsi tandem tempore in exitium eunt: ita hoc versu habes duo alia hominû genera. Persecutores scilicet, qui horrendo intuentibus omnibus Dei iræ exemplo cadunt, & interficiuntur quasi extraordinaria Dei manu: postremò eos qui verè resipiscunt commoti ipsa sancti Euangelij maiestate, & terri iudiciorum diuinorum in præfractos aduersarios multitudine simul & grauitate.

Septimum sigillum.

Apocalypsis cap. 17. vers. 9.

9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis: stantes ante Thronum, & in conspectu Agni amicti stolis albis, & palma in manibus eorum.*

10. *Et clamabant voce magna, dicentes, Salus Deo nostro qui sedet super Thronum & Agno.*

11. *Et omnes stabant Angeli in circuitu Throni & seniorum & quatuor animalium: & ceciderunt in cōspectu Throni in facies suas, & adorauerunt Deum.*

12. *Dicentes, Amen: & benedictio, & claritas, & gratiarû actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.*

13. *Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi, Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & vnde venerunt?*

14. Et

Septima tuba.

Apocalyp cap. 11. vers.

15. *Et septimus Angelus, tuba cecinit, & facta sunt voces magna in cœlo, dicentes, Factum est regnû huius mundi, Domini nostri & Christi eius, & regnabit in secula seculorum.*

16. *Et viginti quatuor Seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum.*

17. *Dicentes, Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.*

18. *Et irata sunt Gentes & aduenit ira tua & tempus mortuorum, iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis & Sanctis, & timentibus nomen*

tuum,

Septima phiala.

Apocalypsis cap. 16. vers.

17. *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem: & exiit vox magna de templo à Throno, dicens, Factum est.*

18. *Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & tremotus factus est magnus qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram, talis tremotus, sic magnus.*

19. *Et facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates Gentium ceciderunt: & Babylon magna venit in memoriam ante Deum dare illi calicem vini indignationis iræ eius.*

20. *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.*

21. *Et grando magna sicut*

cuc

Septimum sigillum.

14. Et dixit illi, Domine mihi tuis. Et dixit mihi, Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.

15. Ideo sunt ante Thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in Throno, habitabit super illos.

16. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus aestus.

17. Quoniam Agnus qui in medio Throni est, reget illos, & deducet eos ad vitas fontes aquarum: & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Septima tuba.

tuum, pusillis & magnis: & exterminandi eos qui corruerunt terram.

19. Et apertum est templum Dei in caelo, & visa est arca Testamenti eius, in templo eius: & facta sunt fulgura, & voces & terramotus, & grando magna.

Septima phiala.

cut talentum descendit de caelo in homines: & blasphemaerunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer.

CAP. VIII.

1. Et quum aperuisset septimum sigillum factum est silentium in caelo, quasi media hora.

Extra omnem dubitationem est, vnum eundemque vltimi iudicij diem significari per septimi sigilli apertionem, septimae item tubae clangorem, & septimae phialae effusionem. Videmus enim in septimo sigillo poni nobis ob oculos pulcherrimum illum concentum electorum omnium, tam Angelorum scilicet caelestium, quam fidelium simul omnium, quacunque fuerint ex gente, vel alioqui conditione, laudes Deo canentium propter perfectissimam illam reuelationem plenissimae libertatis, & sempiternae gloriae filiorum Dei. Videmus & in septima phiala describi diem illum irae Dei flagrantissimum super omnia, quo trahuntur in aeternos cruciatus, cum impia Babylone reprobis quoque omnes. Et vt vno verbo dicam, intuemur propemodum expressissimam earum rerum effigiem, & praesentissimam, quas Petrus breui sermone complexus est, diem illum Domini fore dicens, quo caeli cum stridore praeteribunt, elementa vero aestuantia soluentur, terraque & quae in ea sunt opera exurentur: item rursus (bis enim eadem repetit Petrus *ἐμφατικῶς*) quo caeli conflagrantes soluentur, & elementa aestuantia liquefcent. Sed quemadmodum septimum sigillum immoratur praecipue in describenda reuelatione perfectissima regni caelestis, & hereditatis filiorum Dei, contra septima phiala, proponit magis irae Dei totius exundantissimae, impios simul omnes obruentis & absorbentis viuum sensum: ita videmus in septima tuba, duarum rerum harum (contrariarum certe maxime) iconicam quandam picturam coniunctim exhiberi. Denique septima tuba illud nobis graphicè representat, & extare facit, quod Paulus paucis verbis complexus est 2. Thes. cap. i. v. 6. Iustum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem: Vobis vero qui affligimini, relaxationem nobiscum, quum patefiet Dominus Iesus de caelo cum Angelis potentiae suae, cum flammeo incendio, infligens vltionem iis, qui Deum non nouerunt, neque auscultant Euangelio Domini nostri Iesu Christi: qui poenam pendunt aeterni exitij, damnati a praesente Domino & potente ipsius gloria: quum venerit, vt glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in fidelibus omnibus.

Ceterum quod apertionis septimi sigilli non fit mentio in ipso initio rei describendae (quemadmodum facta fuerat in sex praecedentibus sigillis) sed in exitu ipso & fine descriptionis, cap. scil. 8. vers. 1. nihil nos remorari debet, vt iam antea dixi alibi. Res enim ipsa per se patet. Prima siquidem illa verba capituli octauum sic accipienda sunt, Quum aperuisset septimum sigillum, & ea omnia euenissent quae nouem praecedentibus versibus comprehensa fuere, factum est silentium in caelo quasi media hora. Nam [vt diximus initio huius Methodi, Apocalypsin totam distribuentes in suas quasdam sectiones] in sex primis versibus capituli octauum, transitio quaedam est a narratione apertionis sigillorum ad descriptionem clangoris tubarum. Porro cum tam septimum sigillum, quam septima tuba, & phiala, vltimum illum iudicij diem nobis expriment, inuictissimum [vt puto] hoc est, argumentum, sic interpretandam esse Apocalypsin, vt sigilla cum tubis, & phialis inter se comparentur. Quae enim est analogia sigilli cum tuba, & phiala in septimo ordine: eadem quoque est in sexto, quinto, quarto, tertio, secundo, & primo ordine, istis tribus inter se conuenientia, sigillis scilicet tubis, & phialis. Nec ideo quia narrantur primum septem sigilla, deinde transitio fit ad septem tubas, postremo quibusdam etiam aliis interiectis, afferuntur septem phialae: non ideo, inquam, sequitur, ad aliud tempus spectare res designatas in phialis, quam quae in tubis, aut sigillis. Rei scilicet narrandae ratio, & ordo hoc ferebat, vt temporis momentis quibusdam distingueretur (nec enim simul poterant dici Ioanni, & eodem temporis articulo septem

septem figilla, tubæ septem, & totidem phialæ) rei autem gerendæ natura, ex consilio ipsius Dei eam administrantis, hoc ferebat, vt ad eadem tempora tres ij visionum ordines pertineret. Sic sanè in somnio Ioseph duplici, manipuli fratrum primùm, deinde vndecim stellæ, cum Sole & Luna, sunt simul coniungenda: & tamen visa fuerunt à Iosepho successiue, (vt loquuntur) non vno & eodẽ tempore. Itẽ in somnio Pharaonis duplici, septẽ vaccæ, & septem spicæ, sunt res coniunctæ ad eandẽ rem significandã, & tamẽ eas vidit Pharaon successiue, nõ eodẽ momẽto & temporis articulo. Sic scilicet sigillorum, tubarum, & phialarum visio ad idem spectantes non tamẽ simul visæ fuerunt Ioanni. Præterea, quum cap. 7. v. 13. & sequentibus vsque ad finem capituli describeretur, vt dixi, piorum felicitas illa infinita post vltimũ diem maximè futura, & dicatur illos totos pendere ab Agno (Domino scilicet Iesu) quippe cum ipsi lauerint stolas suas ac dealbarint in sanguine Agni, cum etiã idem Agnus qui in medio throni est pascat eos, & deducat ad fontes viuos aquarum: non potest dissimulari profana hypocrisis, & improba impietas Romani Papatus, vbi clerici die natali plurimorum Martyrum in sua M. ssa pro epistola [quam vocat] hæc canentes, subiungunt tamẽ [& omnia quidẽ lingua incognita Christiano populo] in Postcõmunione, Præsta nobis quesumus Domine, intercedentibus S. Martyribus tuis, N & N. vt quæ ore cõtینگimus: pura mēte capiamus. Per Dominũ. Ita scilicet cum sancti oēs suo exẽplo docuerint nos minimè pēdendũ esse à creaturis vllis, isti volũt nos à sanctis pendere præter Dominũ Iesum, non autẽ à Domino Iesu solo.

CAP. XII.

1 *Et signum magnũ apparuit.* Non sunt hæc sic accipiẽda, quasi tempore subsequatur præcedentem narrationẽ: imò pertinent ad expressiorẽ descriptionem quorundã, quæ antea dicta fuere. Mulier est Ecclesia: & eius quidem conuersatio est in cœlis: Sole suo, Christo scilicet tota est amicta: luna sub pedibus eius, quia mūdana omnia ei sub acēt, & seruiunt, non dominantur (non ponit enim in eis cor suum) corona stellarum duodecim super caput eius, doctrina est duodecim Apostolorum, quorum eius prædicationis fidelis est, & in tantam euehitur dignitatem. Ventrem fert autem, quia quandiu erit cœlum & terra, nunquam deerunt noui Deo filij filiaque: clamat parturiens, & cruciatur vt pariat, quia magno & assiduo Prophetarum & Apostolorum labore, summis [inquam] sacri ministerij difficultatibus, noua quotidie Ecclesiæ soboles emergit, fouetur, crescit, adolescit, nec sine tentationibus omnis generis ad finem vsque perstat. Vers. 3. refertur Angelorum capitique eorum præcipui, quibus peccantibus Deus non pepercit (2. Petr. 2.) vetus illud iudicium & proiectio in terram: vnde dicuntur in Epist. Iudæ non seruasse suam originem, vel principatum, & reliquisse suum domicilium. Hic autem obseruatio temporis verborum accurata apparet minimè, non tantum quia is ferè mos est Prophetarum, sed & quia nostra interest Satanam cadentem è cœlo, cum sua caterua & numeroso exercitu, horrifico autem fragore quotidie cogitare, vt & Deum timere discamus, & à gloriæ Dei & salutis nostræ aduersario, copiisque eius omnibus assidue insidiantibus, & irruentibus, sollicitè & fortiter cauere nobis. Adde quòd in visione hæc non poterant aliter repræsentari, nisi quasi præsentem tempore ea gererentur. Stat autem draco ante mulierem parituram, & c. quia circuit tanquam Leo rugiẽs, quærens quem deuoret: parit tamen mulier filiũ masculinum, quia nos omnes qui credimus, siue viri siue fœminæ, siue liberi siue serui, fortes in fide resistimus draconi illi & leoni, vt est apud Iacobum cap. 4. & Petrum cap. 5.

Porro sicut Ecclesia propter quandam similitudinẽ describitur hic tanquã mulier omni sancto ornata admiranda, vterum ferens ipsa, & parturiens, ac sobolescens, sponsa quippe Dei & Agni, vt in hoc libro nominatur honorificentissimè, ita synagoga Satanæ, in qua eminet Romanus Papatus, & idè ipse Romanus Papatus, comparatur cap. 17. mulieri quidem, sed meretrici impudētissimæ, fucatissimæ, & omni luxu fœdissimo turpiter diffluentem. Item Quemadmodum Filius Dei propter quandam similitudinẽ dicitur Agnus (qui tamen & Pastor) sic Diabolus dicitur draco, & serpens. Agnus scilicet filius Dei, non modo quia innoxium animal & mitissimum, sed etiam quia ex Dei mandato ab initio mundi post peccatum, & vsu omni sanctæ Ecclesiæ, deinde ex legis à Deo datæ per Mosem per scriptione, Deo immolabatur pro peccatis. Draco autem & serpens dicitur ipse Diabolus & Satan, non tantum quia virulento est ingenio, ex ea prauitate, quam ipse incurrit & accersuit cum naturam alioqui bonam à Deo conditam & datam gratis, ingratus ipse corrumpit gratis, idest maximè volens ac sciens: non tantum, inquam, propter astutissimam illam malitiam, & vaferrimam ferocitatem, qua pollet, in qua sibi placet, & exultat, quam vbique depromit & exerit contra genus humanum, nisi vbi Dei manu potentissima, & beneficentissima compefcitur, coërcetur, vincitur, ac constringitur, & vincitur: non tantum, inquam, ob eas causas Satan dicitur draco, & serpens, sed etiam quia ab initio Creaturam Dei alioqui bonam, serpentem scilicet, sibi accommodauit gloriæ Dei aduersarius ille ad decipiendam mulierem, Euam scilicet illam matrem viuentium omnium.

E. j.

3. *Habens capita septē & cornua decē*, Capita septē & diademata septē significāt principem huius mūdi longē latēq; regnantē. Cornua decē, potentē hostē, & ferocem belluā. *Tota enim hæc descriptio nō ad speculationes curiosas, sed ad doctrinam nostrā est cōparata.*

5. *Et peperit filium masculū*. Vnius filij & masculi nomine intelligitur tota Ecclesiæ soboles ab initio ad finē vsq;. Vnus ergō filius, quia fides vna omnibus credētibus ad salutē: vsq; masculus, quia fides firma petra, aduersus quā portæ inferorū non præualebunt. Mat. 16. Raptus est filius ad Deū, & c. & fugit mulier in solitudinē, & c. quia quotquot fidelium confecto huius vitæ siue breui, siue lōgo curriculo moriūtur, in gloria Dei & beata vita in cœlis viuūt eorū Spiritus, Heb. 12. v. 23. Perstat autē Ecclesia semper aliqua in terris, licet quasi in solitudine, quia pusillus grex præ multitudine pereuntiū, & latet vt triticū sub multa palea: subinde etiam locum mutare cogitur, persecutionum procellis agitata, & huc illuc impulsā. Imò etiam vbi non mutat locum, obruitur tamen propemodum splendore mundi, caligine humanarum doctrinarum, præstigiisque falsorum doctorum: sed, vt vt sit, in solitudine certē & occultē nutritur, quantumuis diebus multis.

7. *Et factum est prælium in cœlo. v. 7. 8. 9. 10. 11. 12.* describunt Archangelū (sic enim nominatur in Epist. Iudę Michaël) cum suis Angelis, pugnantē assiduē contra draconē, & Angelos eius. Dicitur autē præliū fieri in cœlo, quia & primū, & ab ipso rerū initio factū fuisse videtur in cœlo, & supremis sedibus illius gloriæ Dei: & adhuc hodie fit in aëre, quū dicatur Eph. 2. ὁ ἀρχὼν τῆ ἐξουσίας τοῦ ἀέρος & Eph. 6. τὰ πνευματικὰ τῆ ἀνομιᾶς ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Victoriæ autem diuersæ, quas singulis præliis obtinet Michaël cū sanctis Angelis, describuntur iis verbis, quæ iā spirant ac referunt plenissimū illum triumphū, qui non exabit tamen ante vltimum diē (vt est v. 10. & 11.) vt scil. certitudinem victoriæ illius finalis iam animis nostris læti præsumamus, & fidei sollicitudine degustemus illius triumphī magnificentiam incredibilē. Simul tamen admiscentur & alia verba, quæ Diabolum grassantem furiosē in mundo, & regnantem in filiis Adæ depingant, vt in posteriore mēbro v. 12. Est enim ad finē vsq; mundi, ὁ ἀρχὼν τοῦ πνεύματος τοῦ ἐπερῶντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆ ἀπειθείας Eph. 2. v. 2. Sensus ergo illorū verborū, Vt incolis terræ & maris: nā descēdit Diabolus ad vos iræ magnæ plenus, vt qui sciat se paululum tēporis habere est, Dum adueniet dies ille vltimæ & generalis victoriæ, Diabolum quodāmodo principem esse mundi [præsertim verò ferocire, & quasi solum vinculis omnibus pro libidine sua grassari, quoties aboletur ministerium Ecclesiasticū, id est, Euangelij prædicatio, vt dicitur cap. 28. v. 3. 7. 8.] quia tanquā leo rugiens obambulat quærens quem deuoret, & deuorare quidem omnes qui perseuerant esse huius mundi filij. Porro Michaëlem intelligi Christum non puto vel hīc vel apud Danielē. Et quidē interpretum nemo sic exponit in Iudę epistola Michaëlem Archangelū, qui aduersus Diabolum disceptat & certat de corpore Mosis. Nō autem video cur aliter interpretemur in Daniele, & Apocalypsi. Dicitur Michaël Danielis 10. cap. v. 13. vnus principū primorum, inter Angelos scil. & v. 21. verba sunt filij Dei Daniele alloquentis, Michaël princeps vester: & cap. 12. dicitur idem Michaël princeps magnus. Hæc autem elogia, hoc ipsum esse interpretor quod idem Michael dicitur ab Apostolo Iuda Archāgelus, id est, vnus ex iis qui præcipui quidam principes sunt in mirabili illa, eademq; innumerabili propemodum militia sanctorum Angelorum. Etsi verò illa scrutari nos nec vtile, nec possibile est [vt meritò reprehendatur Dionysius ille Hierachiam describens, quasi eius apud Deum succenturiatus fuerit quidam] cum Paulus ad Colossenses de Angelis loquens, falsos doctores reprehendat, qui sese ingerant in ea quæ non viderunt, quia tamen magnifica illa Angelicæ naturæ nomina apud Paulum legimus, & apud Petrum quoque nonnulla, Thronos, Dominationes, Potestates, Virtutes, & c. non dubium est, distinctos esse ordines, & distributa officia, ac veluti capita quædam eminere, qui dicantur Archangeli in lætissima, & lectissima illa sanctorum Angelorum societate: licet reuera Angelorum simul omnium caput vnicum, sit vnigenitus ipse Dei Filius. Quòd autem ex nominis etymo adduci se existimant nonnulli, vt Michaëlem Christum esse credant, non valdè vrget hæc coniectura. Michaël Hebraicum, sonat Latine, Quis, quasi Deus? vel, Quis sicut Deus? at qui inquirunt, solus Christus est sicut Deus: ergo Michaël hic est Christus. Ego verò sic potius censeo: Cū Archangelus emineat inter Angelos, & præcipua potestate excellat, nominis sui pronuntiatione admonet ipse omnes, ne ad seipsum trāsferant Deo vni proprium honorem. Sic cū Danielis cap. 8. v. 16. alius Angelus dicitur Gabriel. i. fortitudo Dei, nomine iam ipso suo auertit à se laudē fortitudinis, vultque agnosci totam Dei, fortitudinem esse omnem suam. Adde quòd Michaëlis nomen homini quoque mortali tribuitur, & in libro Numerorum, & in libris Paralipomenon. Id verò omnino nefas esset, & sacrilegum, si esset Michaël Christi nomen. Esset enim tunc ei proprium vni, quemadmodum Immanuel. Aliud siquidem est, quando Oseas ille filius Nun, contubernalis discipulus Mosis, cognominatur Iosue, vel Iesus, vt est in epist.

in epistola ad Hebræos: quia id erat, seruator scilicet typicè. Aliquē autē dici Immanuelē typicè nō cōueniret: ergo nec Michaëlem, si Michaël esset Christi filij vnigeniti Deo Patri elogiū.

10. *Et postquam vidit draco.* Repetit, & prolixius describit quod dixerat ver. 6.

14. *Ala duc aquila magna.* Mallem vertere aquilæ illius magnæ. Certam enim aquilam videtur designare: illum scilicet de qua cap. 4. v. 7. duas alas illius aquilæ magnæ datas dicit mulieri. Habebat autem aquila sex alas, vt est ibidem v. 8. Gallicè *de la grande aigle, non d'vne grande aigle.* Sic cap. 17. v. 1. κρῖμα τὸ πῶρον τῆς μεγάλης de la grande paillardie. Et ver. vltimo. ἡ πόλις ἡ μεγάλη, c'est la grande cité, vel la cité la grande.

Per tempus & tempora & dimidium temporis. Quod dixerat v. 6. diebus mille ducentis & sexaginta. Aliquid tamen differentia esse inter dies 1260. (quod ad rei ipsius explicationē pertineat pleniorē) & tēpus & tempora, & dimidium temporis, siue (quod idem est) menses quadraginta duos, id est, annos tres & menses sex, dixi cap. 11. v. 2. & 3. vbi vide quæ ad huius loci intelligentiam faciunt.

15. *Et misit serpens ex ore suo.* Ver. 15. significat prodigiosis doctrinis, & diluuiō quodam errorum infinitorū, qui ex ore serpentis effunduntur & vomuntur, abripi prodemodū quantumuis fugientem eos Ecclesiā. Deum autem consulere non tantum occulta vi Spiritus & veritatis suæ aliis ipsi Ecclesiæ: sed etiā quia vanitate sua errores alij post alios concidunt, & vetustate euanescent, quasi terra dehiscens aquā absorberet: contra Dei veritas, vtpote firmissima, manet immota: & licet inundantibus aquis ex ore serpentis tota cooperiatur, & dispareat, emergit tamen semper eadem, aquis sua inconstantia, & fluiditate minimè perdurantibus. Sic cap. 16. v. 23. dicuntur tres impuri spiritus similes ranis prodire ex ore draconis, ex ore bestia, & ex ore Pseudopropheta. Cæterum de ratione similitudinis huius sumptæ ex ipsa rerum natura, sic habeto. Scribit Plinius lib. 9. cap. 4. Maximū animal in Iordico mari Pristes & Balena est: in Gallico Oceano Physter, ingentis columnæ modo se attollens, altiorēq; nauium velis diluuiem quandā eructans. Idem eodē libro, cap. 6. de Orca (pisce) in portu ostiensi oppugnata à Claudio principe: Protendit (inquit) iussit Cæsar plagas multiplices inter ora portus: profectusque ipse cum Prætorianis cohortibus populo Romano spectaculū præbuit, lanceas congerente milite è nauigiis assultantibus, quorū vnum mergi vidimus, reflatu beluæ opletum vnda. Ora Balenæ habent in frōtibus, ideōq; summa aqua adnatantes, in sublimē nimbos efflant. Hinc sumptū est quod dicitur serpens eiecisse post mulierem aquā tanquā flumen, vt eā faceret rapī à flumine. Alioqui venire alicui possit in mentem, vt miraretur cur falsæ doctrinæ cōparentur aquis, cum & Ezech. cap. 47. sana doctrina aquis similis dicatur. Ratio sanè est diuersissima: nā apud Ezechielē aquæ illæ dicuntur scaturire ex limine ipso Tēpli: ergo salutares aquæ, ex ipsa quippe Dei domo manātes. At hinc aquas euomit ex ore suo fœtido exitiales serpens, & diluuiē illā eructat fœdā ac venenatā. Id quidē fortasse non solent facere terreni serpentes. Verūm diabolus (cum serpens dicatur ab illo suo primo stratagemate, quo mulierē decepit induens formā serpentis, vel in serpente loquens ei) aliquando terrenis serpentibus aliquando & marinis comparatur, vt terra marique cum nobis fugiendum norimus. Ideo Isaia cap. 27. dicitur Diabolus Leuiathan serpens penetrans, Leuiathan serpens flexuosus, & draco qui est in mari.

17. *Vt gereret bellū cum reliquis ex semine eius.* Nā cōplures alios interfecerat priorū draco, vt patet ex v. 11. fortasse postquā nō potuit falsis doctrinis euertere Dei Ecclesiā, cōuertit se ad apertā vim: vel cum aperta vim non potuit totā Ecclesiā delere & excindere (etsi interfecit multos, vt est v. 11.) nec deinde falsarū doctrinarū diluuiō inducto eā totā de mūdo tollere: conuertit se ad mixtū quoddā genus, vt per eodē aperta simul vi, & doctrinæ corruptelarū turba, crassitie, ingeniositate, varietate totam pessundet: quale est regnum bestia cap. 13.

Cap. 12. ver. 18. qui & vltimus. Steti q̄ super arenam maris. CAP. XIII.

I. *Et vidi de mari bestiam.* Caput hoc cōplectitur descriptionē duarū bestiarū, vt sit expositionis vice quibusdā sequentibus, vt cap. 16. v. 2. vbi nominatur homines habētes characterē bestia, & adorātes eius imaginē, & v. 10. vbi quinta phiala effundi dicitur super thronum bestie, & v. 13. vbi dicuntur tres impuri spiritus prodire ex ore draconis, & bestia. Ne, in quā omnia illa obscura essent cap. 16. in phialarū effusione, ideō hinc proponitur bestia, imago eius, character, nomē eius, & numerus nominis eius. Eadē autē de causa describitur draco, tam hinc quā cap. 12. quia scilicet draconis fit mentio illo 16. cap. deinde & 20. cap. v. 2. & v. 10. Cæterum fortasse ideo dicit Ioannes se vidisse Bestiam ex mari ascendentem, quia erat in Patmo insula, vt mare circumquaque eius conspectui pateret. Dicitur tamē & vidisse postea alteram Bestiam ascendentem è terra. Fortassis è mari ascēdere dicitur Bestia prior (quæ iam tum erat) quia mare ei erat proximum, Ioanni inquam. Posterior è terra, quia postea erat ventura, vt è longiori prospectu Ioanni esset intuenda.

II. *Et vidi aliam Bestiam ascendentem è terra.* Quidam hanc bestiam interpretatur Pa-

patum Romanum à tēpore Adriani tertij, Romani Pontificis, anno scilicet 885. Inde cōputant annos 666. dicuntque anno 1550. moriente Paulo tertio Pontifice, mortuā & sepultam fuisse regiam illam Pontificis potestatem in Reges & Cæsares. Ego verò video ex rerum experientia id esse falsum. Nam etiā hodie & Cæsares & Reges osculantur per legatos suos pedes idoli Romani. Iidem verò interpretes imaginem bestię exponunt Papam Romanum æquali vel etiam superiori iure cum Imperatore administrantem Imperium.

Cæterum, vt dixi in sexta tuba, cap. 11. v. 7. bestia è mari ascendens v. 1. est imperium Romanum: capita septem & cornua decē, significant longē latēque patentem dominationem, insignes vrbes, nobilissimos populos, opulentissimas prouincias sub se tenentem. Vnum ex capitibus eius quasi lethaliter cęsum v. 3. intelligo vrbe[m] ipsam Romā grauissimē afflictam, & nō semel totam excisam. Quod plaga eius lethalis curata dicitur v. 3. 12. & 14. expono Romę prope in æternum excisę magnitudinem renouatam & insauratam per Papatū. Ver. 12. intelligo Papatum (qui per bestię aliam è terra ascendentem significatur) facere quodammodo vt ipsa Roma adoretur ab omnibus gentibus, nam bestię adorari cuius curata fuerat plaga lethalis, est adorari prioris bestię caput illud, quod fuerat lethaliter cęsum. Romanus ergo Papatus Bestię hęc comparatur mōstrosę & horrificę, *ἄνθρωπος*, inquam, id est, f. r. z. cū hic cōtrā Filius Dei Agnus sit, & idē *ζῷον* nō *ἄνθρωπος*, id est, animal, non fera bestia. Fateor ita Filium Dei dici Agnum, mitem scilicet, & mansuetum, & qui mactatus fuit, vt tamen maximē viuere prædicetur, & robore potentissimo pollere. Qua de causa dicitur capite quinto, Agnus habēs cornua septem & oculos septē. Fateor dici eūdē ibidē Leonem quoq; sed cum additamento Leonē de tribu Iuda, vt intelligamus nō feritatē denotari, sed inuictissimas vires ad suos propugnandos, & cōterendā prorsus vim omnē aduersariā, iraq; sua obruēdos quicunq; in ipsum, quādo cunq; & quomodo cunq; insurgere perseuerāt, nec resipiscunt. Idē ergo Agnus, & tamen Leo. Idcirco nō sine magna gratia dicēdi cap. 6. v. 16. ab ira Agni iam iam instāte contremiscere dicuntur impij omnes, quicunq; tandem sint, & reges terrę, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber, & dicere montibus, & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super Thronū, & ab ira Agni: quoniā venit dies magnus irę illius, & quis poterit stare. Magno, inquam, cū lepore sermonis, Agni nominatur ira (& quidē tremenda maximē) non tamen ad euandū aliquem splendorē orationis, aut oblectationē, qualis magna cura paratur à profanis scriptoribus, & in ipsis captatur & spectatur, sed ad mirificam consolationē animorū nostrorum, suauissimam autē, & fortissimā confirmationem fidei nostrę, vt scientes terrorē illū Domini, contendamus semper ei placere, & cū timore, ac tremore, nostram ipsorum salutē operari, quo sensu id dicit Paulus. Sed vt ad bestię redeamus, de qua hęc quod dicitur v. 13. facere ignem descēdere in terrā è cœlo in cōspectu hominū, expono de excōmunicationum fulminibus, quę hominum stultē trepidantiū & malarum conscientiarū falso iudicio videntur cœlestis diuinę esse potestatis. Imaginē bestię v. 14. intelligo idolū panis in Missa, quia illud idolum Roma fabricauit, tuetur, amat, eius contemptū vindicat igni & ferro, adorationēq; ab omnibus exigit seuerissimē. Neq; enim imago bestię dicitur actiue, quę effingat. i. representet bestiam: sed passiuē, quę fingatur ipsi bestię, id est, quā bestia posterior imperet effingi bestię priori. h. e. capiti illi bestię prioris, quod fuerat lethaliter cęsum & postea reuixit. Nā quamuis dicatur bis v. 15. *ἡ εἰκὼν τοῦ θύτου* imago ipsius bestię, itemq; cap. 14. v. 9. & 11. tamē v. 14. hęc, vbi primū illud reperitur, dicit *οὐκ εἰκὼν τοῦ θύτου* non autē *ἡ θύτου*: Facere imaginē ipsi bestię, nō aut ipsius bestię. Itaq; *εἰκὼν τοῦ θύτου* est *ἡ εἰκὼν τοῦ θύτου* ab incolis terrę. Nec mirum sic accipi Imaginē bestię, & aliter paulō dici, quā sæpe ferat cōmunis vsus. Imago Cæsaris (fateor) Mat. 22. v. 21. significat sculptum, vel cęsum aliquid, quod Cæsaris vultū, & oris lineamenta repræsentaret, sicut & inscriptio in illo numismate nomen Cæsaris edebat. At cū legamus Mat. 10. v. 1. Dominū dedisse discipulis duodecim potestatē spirituum immundorū, pro potestate aduersus spiritus immundos: cū item Mat. 12. v. 13. dicatur blasphemia spiritus pro blasphemia aduersus Spiritum: non est certē absurdum hoc genus dicendi, imago Bestię, pro imagine quę amatur, fouetur, defenditur à Bestia, & in qua Bestia sibi placet. Nec tamen vsus cōmunis loquendi repugnat: Dicitur enim fieri puerulo imaguncula qua se oblectet ludibundus: eadē dicitur postea pueruli illius imago, non quia pueruli eiusdem faciem referat (erit enim fortasse equus, vel auis, aut catulus: quod si etiam homo esse videatur, pubes tamen erit, & barbatus, ac militari habitu) sed quia ad pueri vsus, vel potius abusus, id est, vsus ludicrum sit cōparata. In ea autem totus ita erit puerulus, vt inde abstrahi se non sinat. flet autem simul, & excandescat, si quis illius suę pupę contemptum præ se ferat, aut eam offendere, corrumpere vllō modo attentet.

Sic, inquam, prorsus legimus hęc ver. 14. posteriorem Bestiam in perare incolis terrę, vt faciant imaginem ipsi Bestię priori, & c. tum autem (vt patet ex vers. 15. vbi ter illud reperitur)

peritur) omnib. in ore est, & passim dicitur, illā imaginē esse imaginē ipsius Bestiæ. Nō potuit autē Missaticū illud crustulū, & Deus factitius, totūque Trāsubstantiationis figmentum melius exprimi, quā pauca hæc verba, hoc nobis Romanense totum mysterium depingunt ad viuū (vt dici solet) atque animant etiam. Neque enim dicitur imago illa mitti à posteriore Bestia ad omnes incolas terræ: non dicitur, inquam, posterior Bestia mittere in omnes gentes imaginem illam prioris Bestiæ: quemadmodum scilicet Demetrius ille cum suis artificibus, Act. 19. imagunculas quasdam argenteas, quæ speciem aliquam templi illius Dianæ Ephesiæ referre viderentur, erat solitus sculpere vel cudere, nec tantum Ephesiis ipsis diuendere, sed etiam exteris quibusvis eò comitantibus, qui ex vrbe ipsa (Epheso scilicet, ne quis Romam dici cogitet) ad suos deinde, in patriam quisque suam referrent. nec item quemadmodum Gregorius (in hac re ineptiens, alioqui non per omnia reiiciendus) superstitiosè superstitiosa quædam mittebat ex vrbe Roma: nec quemadmodum Leo decimus Rosam illam mittebat ad ipsum etiā Illustrissimum Ducem Saxonæ, & pium Lutheri ac Euangelii propugnatorem.

Non ergo sic posterior Bestia, ipse scilicet Papa, imaginem prioris Bestiæ (eo quem diximus sensu) per nuntios suos mittit ex vrbe in varias gentes: non qui Romam veniunt ad pedum oscula posterioris Bestiæ (Papæ inquam) ab ipso Papa accipiunt, aut ab eius Curie administris imaginem hanc, quam secum exportent in longinquas regiones. In promptu autem causa est, quia in itinere vel à vento abripi, vel putrescere, & corrumpi, vel confringi facillimè posset. Nec verò opus est ab ipsius Pontificis pedibus in Galliam, Hispaniā, aliāsue gentes, deferri imaginē hanc: nā quotānis apud omnes populos feritur, & metitur triticum, quotidie molitur, pinsitur, & coquitur. Quare posterior hæc Bestia hinc hoc vnum opus habet, quod est v. 14. dicere scilicet incolis terræ, vt faciant imaginem ipsi Bestiæ. id est vrbi Romæ, quam imaginem nempe Roma amat, & in deliciis habet, & qua imagine factum est, vt reuixerit, sitque quotidie vt reuiuifcat Roma, quæ vulnerata fuerat lethaliter. Conci-derat enim prorsus vrbs, quæ aliquando caput fuit mundi, collapsa erat eius dignitas illa summa, corruerat tota maiestas septicolis Romæ, nisi eā Bestia posterior (Papatus scilicet ipse) instaurasset, & collapsam erexisset: nisi Missaticū idolum eam fulciret apud varias gentes, euanesceret illicò Roma, de ea protinus actum esset. Quam verè dicitur autem imago hæc fieri ab incolis terræ, iussu Bestiæ posterioris, id est Papatus, ipsi Bestiæ prioris, capiti scilicet illi Bestiæ prioris, quod vulneratum lethaliter reuixit? quā verè prorsus (repeto enim) dicitur vrbi Romæ à variis gentibus fieri hæc imago, cum solæ hæc gentes panem adorent in Missa, quarum Ecclesiæ vrbem Romam agnoscant, & se profitentur Catholicæ Romanæ (vt monstrosè loquuntur) Ecclesiæ subici. Neque enim qui dicuntur esse in Græcia, Armenia, Perside, India, aut Ætiopia, & Mediterraneis Africæ regionibus Christiani, imaginem hanc adorant, panem scilicet in Missa, aut omnino alibi. Porrò transubstantiationis horrendum monstrum, quis pictor melius exprimere? quis historiæ scriptor narrādo completi significantius? aut quis poëta hanc metamorphosin magis canorè fabulari potuit? quā paucis verbis vers. 15. hoc totum exequitur, & Romanè Romano Papatui consecrat, dicens, Et datum est illi (nempe posteriori Bestiæ) vt daret spiritū imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ, & faciat, vt quicumque non adorauerint imaginem Bestiæ, occidantur.

Annō. n. variis in gētibus, simulatque ritu Romano, & ex mādato Pōtificis Romani panis adhibetur Romanæ Missæ (dictū, factū) incipit qui panis erat, isque minimè spissus, sed tenuissimus, fieri caro, sanguis, ossa, nerui, cutis, corpus denique humanū cum anima humana verissimum? An non viuere statim agnoscitur? An non maximè viuens ab omnibus adoratur, momento vno factus ille Deus, qui panis antè fuerat tantū? An non principum edictis populorum receptissima cōsuetudine, plebis infano clamore, scholarum Romanensium crudelissimis decretis, & plusquā Pythagorica irreuocabili authoritate illa, *Αὐτὸς ἔφα:* an non, inquam, tot simul, semelque confossi gladiis extemplo (ex ipso, inquam, templo, ergo *ἐκ τοῦ ἱεροῦ:* extemplo) occidūtur, necātur, interficiūtur, emoriūtur, & vitali hoc aëre privātur, corporis huius vita hac spoliātur, quicumq; & quotquot mortuam hanc imaginem toties e mortuæ bestiæ, vitalē ad tēpus miro artificio factā (& paulò post moriturā, faucibus vnus homuncionis vnico haustu absorptā, vel etiā in plures antea disceptam particulas, aut frustulatim contusam) noluerint adorare, non adorauerint, non adorandā scripserint, senserint, dixerint, vel etiā cogitarint? Porrò ne ipsius quidē Vireti nostri Cēto de theatrica Missæ saltatione, horrendū hoc transubstantiationis monstrū, & mirificā ex Romano artificio, Meamorphosim melius potuit versib. exprimere: quia tamē Versus sunt, accedāt etiā huc, ad exhornandū hoc Romanæ Curie commentū. *Dicit Apocalypsis loquēs de posteriore Bestia, Edit signa magna, adeo vt etiā ignē faciat descēdere in terrā in cōspectu hominū.* Dicit Cēto,

Roma faue, tibi surgit opus, date candida ciues
 Omina, splendenti dare pondus idonea fumo.
 Ominis optato seclorum tempore nati,
 Magnanimi heroës, nati melioribus annis:
 Heroes saluete Deum genus: ô bona mater,
 Optima nutricum foete lupa martia mammae:
 Vos ego sepe meo, vos carmine compellabo.
 Teq; adeo eximie auspicijs felicibus aucte,
 Italia columen, magnus cui Iupiter ipse,
 Ipse suos diuim genitor concessit honores,
 Multos quiq; deos (longum est numerare) creasti
 Dysgenite, & geniture Deos pater ignipotentis.
 Omnia quem metuunt, ad quem sua brachia tendunt:
 Cuius sancte parens, hac est pulcherrima sedes,
 Ac cuius virtus gentes, regesq; subegit:
 Ipse etiam tanto Dominus sub pondere rerum,
 Quiq; parens verus patriæ es, dignissimus aris
 Roma tuis, per quem nunquam iurare pudebit
 Numen adorandum, &c.
 Sunt tibi magna pater, nimiumq; potentia regna.
 Ante tuos ortus, ara sine honore fuerunt.
 Materia est (mibi crede) tuis aptissima chartis,
 Dignis carminibus narrari cæna Thyestæ,
 Cæna Thyestæis cumulat quæ viscera mensis,
 Omnisq; humanis lustrata cruoribus ara.
 Fæta canam, sed erunt qui me finxisse loquentur,
 Et timor officio fungi vetat ipse quieto.
 Credamus tragicis quicquid de Colchide torua
 Dicitur, & Prognemil contra conor, & ille
 Grandia monstra suis audebant temporibus, Sed
 Ob nummos, maior nunc admiratio summis
 Debetur monstris, quæ nostra hæc credidit ætas,
 Dicit Apocalypsis, Et Bestia hæc seducit incolas terræ, propter signa, quæ datum est ei ut fa-
 ciat in conspectu Bestiæ prioris, dicens incolis terræ, ut faciant imaginem Bestiæ, quæ gladio un-
 derata fuit, sed reuixit. Dicit Vireti Cento.
 Sacra diesq; canam, iunctosque ex ordine ludos,
 Sanctos templorum cultus, aurumq; deorum,
 Erraresq; vagos, cæcæq; obliuia mentis,
 Grande & conspicuum nostro quoque tempore monstrum,
 Quod prior est mirata, sequens mirabitur ætas.
 Omne vetustorum soliam penetrare magorum, &c.
 Fata & fortunas, studia, ingeniumq; manusq;
 Atque affectantes cælestia regna Gigantes,
 Romanos rerum dominos gentemque rogatam,
 Quales ex humili magna ad fastigia rerum
 Euexit, quoties voluit fortuna iocari:
 Non quantum ferro, tantum pietate potentes. &c.
 Dicit Apocalypsis, Et datum est illi, ut daret spiritum inagini Bestiæ, & ut loquatur imago
 Bestiæ. Dicit Vireti Cento, transsubstantiatione in Missa panis describens, & ipsum Papa-
 ticum sacrificium cuius artificio transsubstantiatur panis.
 Hos habet hic vultus, hæc dum sacra verba recenset:
 Lactaris latè signaq; dat manibus.
 Admauet inde caput, panis quoque verba iacenti
 Dicit, quem faciunt protinus illa DEV M.
 Sibila moxq; efflant linguis vibrantibus ora,
 Et sufflat buccis terq; quaterq; suis.
 Incalet hincq; Deo, quem clausum pectore ructat,
 Sibilus, & magni pectoris afflat opus.
 Nec cantat surdo, patulos dum ducit hiatus,
 Ast his prostratam transfuebit huc animam.

Hincque

Hincque calent anima paulatim crustula farris.

Et posita humanis visibus apta Ceres:

*Quippe ubi temperiem sumpsere humorque, calorque,
Spirantesque animos iam rude NVMEN habet.*

*Et quanquam prima retinent monumenta figura,
Attamen hac presens guttura NVMEN habent.*

*Munere in hoc usus panis, sed imagine maius
Credibile est illi NVMEN inesse loco.*

*Crede mihi plus est, quam quod videatur, imago:
Afflando sanctos aduchit iste deos.*

*Hic cernis quantum artificis valet halitus oris,
Et quantum tenni murmure lingua potest.*

*Nanque hunc secreto grates sibi magnus agentem
Exaudit media qui sedet adde Deus.*

*Elicit & caelo te Iuppiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.*

*Hic tu sanctus eris: nunc te veneranda Quirint.
Turba deum caelo deuocat indigetem.*

*Signaque dat venisse DEV M, vulgusque precatur,
Protinus & populi vox sonat una, Venit.*

*En DEV S est, DEV S est, linguis animisque fauete,
Quisquis adest dicit, nec sine teste deo.*

Dicit Apocalypsis, Datum est Bestiae posteriori huic, ut faciat, ut quicumque non adorauerint imaginem Bestiae occidantur. Dicit Vireti Cento:

Qui vult esse pius Romana ille exeat aula.

Libertas scelerum regna hac inuisa tuetur,

Venalésque manus: ibi fas, ubi maxima merces.

Lingue duces priscos, & nomina pauperis cui.

Si tibi permittis felices carpere nugas,

Has, nquam, nugas, quibus aurem aduertere totam

Non aspernantur proceres urbisque forique:

Si tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva

Actius, & tenues sinxerunt pedibus Athena,

Fraeta cadet tanta sapientia mole ruina:

Mens bona ducetur manibus post terga resortis.

Me quoque quod monui bene multa fideliter, odit.

Tu miserere tui & c. Item

Horrendum hic stridet flammis armata Chimera:

Non impune licet ridentem dicere verum.

Nec genus hoc scripti faciunt sua pulpita tutum.

Nec mihi parua fides: procul hinc procul impius esto,

Siquis eris recti custos, imitator honesti,

Vir bonus & pauper, linguaque, & pectore verus:

Tuque REBELLATRIX sancta GERMANIA sedi,

Et qui Romanas soliti contemnere leges,

Iudaicum ediscunt, & seruant ac metuant ius,

Tradidit arcano quodcunque volumine Moses,

Ac quibus haud cura est externos querere diuos,

Et quisquis pactas in foedera ruperit aras.

Non est hac sacris gens acceptissima nostris.

Nescis, HEV nescis dominae fastidia Romæ.

Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alunus,

Si genus arguitur vultu, nisi fallit imago.

Nil pudet assuetos sceptris, nec iura fidemque,

Respectumque deum veteris speraueris aula.

Ius & fas multos faciunt, mihi crede, nocentes.

Dat poenas laudata fides, respectus honesti.

Hic vero quid commemorem Inquisitionis Hispanicae crudelitatem, audaciam immensissimam, insidiosas captationes, & artes infinitas Satanicas prorsus omnes? Respiciat e caelo Deus Opt. Max. & misereatur omnium fratrum nostrorum Christi amantium, siue

E. iiii.

in Hispania, siue vsquam alibi gentium.

18. *Qui habet intellectum computet numerum Bestiæ, numerus enim hominis est.* Id est qui possit numerari, quum diuina sint innumerabilia, siue numero non subiaceant: vel intellige hoc addi, nequis crasse sumeret τὸ θηρίον pro bruta pecude, vel fera. Hominem enim esse dicit. & hinc expositionem præfero. Potest etiam dici nomen hominis, id est quod à plebeis quoque intelligitur, vt eo sensu iubetur Isaias cap. 8. vers. 1. scribere stilo hominis. Infrà cap. 2. vers. 17. mensura hominis quæ est Angeli, inquit.

Et numerus eius sexcenta sexaginta sex. Quòd de numero 666. in Apocalypsi, laboramus reperiendo in annorū cōputatione, haud satis scio an firmum sit. Neque enim vt in aduētū Messie designando Spiritus sanctus voluit Danieli reuelare annorum spatium qui eousque restabant, septuaginta scilicet hebdomadas, sic in Antichristo denotando idem fieri vel necesse fuit, oportuit, & debuit, vel etiam decuit, cum diuersissima sit vtriusque ratio etiam hac in parte. Christus vnus est & idem, vna (inquam) eademque persona: idcō ad eius certissimam aduentus denotationem luculenta & insignis, necessariæque spei & fidei piorum confirmandæ fuit spatii annorum designatio, & quàm longū temporis interuallum superesset vsque ad eius manifestationem: ne vel citius eum præsumentes & stulta opinione anteuertentes, vel tardiùs differentes, deciperentur vlli fidelium, vt aliorum plerisque contigisse & contingere adhuc videmus. At in Antichristo longè aliud est, quia non vnus est Antichristus, sed plures. Neque tamen plures Antichristos eo sensu dico, quo Ioannes in prima Epistola, eos omnes nominans Antichristos, qui perperam sentientes ipsi de Christo, abducunt & alios in errorem. Sed Romanum Antichristum intelligo: & ipse quidem Ioannes ibidem, capite scilicet. 2. Epistolæ illius, Romanum Antichristum innuit, cum addito articulo scribit, ὅτι ὁ Ἀντίχριστος ἔρχεται, id est Antichristum illum venturum esse. Illum enim discernit ab aliis omnibus prioribus Antichristis, quorum iam tum plerique, Ioannis (inquam) tempore extabāt, de quibus ait nullo adhibito articulo, ἔτι ἄντιχριστοὶ πολλοὶ γέγονασιν. Ergo inquit Ioannes, Et iam nunc multi sunt Antichristi, vel esse ceperunt: & ille Antichristus venturus est de quo audiistis. Sed vt eò reuertamur vnde nostra digressa est oratio, licet Romanus Papa, postquam vniuersalis Episcopi titulum sibi tribuit, dicatur κατ' ἐξουσίαν præ aliis superioribus omnibus, ὁ Ἀντίχριστος, ille Antichristus: non tamen est vnicus homo, & vna eademque persona semper (vt ille Christus vnus est ab initio mundi promissus, & prædictus, vnus & fuit expectatus à sanctis Dei fidelibus, vnus & apparuit, nec quenquam alium nouit vera Ecclesia) non sic, inquam, vnus est Romanus Antichristus: sed plures sunt personæ, homines scilicet nefarii alij aliis succedentes in titulo illo abominandæ superbiæ, & sede omnis iniustitiæ. Hac de causa dico minimè necessariam fuisse annorum computationem ad agnoscendum Antichristum illum: sed quicumque sedem illam occupat, quæ se Ecclesiarum omnium principem, reginam, & Dominam nuncupat: quicumque (inquam) & quocumque tempore ibi sedet, eum agnosce esse illū Antichristum, nec subsiste in vnus alicuius eorum persona: vt meritò vnus ex illis exclamasse maximè seriò dicatur, quippe manu etiam mensam suam percutiens. Non video quomodo qui hunc altissimum locum tenent, saluari possint.

Porro qui exponunt 666. annos numerandos à tempore quo hæc visiones exhibitæ fuerunt Ioanni vel à Christi passione (nec patiuntur aliò hæc referri) refutari fortasse videntur, eo quòd non tantum numerum Bestiæ dicit, sed & nominis eius numerum.

Nec est verisimile scriptam esse Apocalypsin, vt opus esset multorum annorum percurfione & historiarum recensione ad eam intelligendam. Quin potius voluit Christus, rudissimum quemque Christianum, piam etiam quamuis mulierculam, ex ipso conspectu, vel etiam auditu Romani Papatus consideratione doctrinæ, vitæ, & morum in ipso Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, Canonicis, monachis, sacrificulis: cum videlicet isti omnes pleni sint superbia, inuidia, ambitione, auaritia, odio proximorum, & partim sint indocti, partim et si vel aliqua, vel multa eruditione præditi, voluptatum tamen magis amantes quàm Dei: Ecclesiam Christi non curent, sed cuticulam suam curent, verbum Dei vel non norint, vel non prædicent, luxu omni diffluant, in vestitu, victu, & omni cultu corporis: vel alioqui, dum vitant stulti vitia, in contraria currant, & ludicra ridiculæque superstitione, varias se in formas victus & vestitus, colorésque infinitos sese transforment, totidem in sectas diuisi: pendeant tamen omnes ab vno capite, Romano scilicet illo lupo: cum, inquam, hæc omnia sint posita in omnium oculis, voluit Deus (vt dixi) rudissimū quemque ex iis qui Christum norunt, statuere vel ex intuitu eiusmodi hominum, aut potius monstrorum, vbicumque locorum & quocumque tempore, illum esse Antichristum, & alios omnes eius emissarios, esse Antichristianos.

Verum, vt præfero eorum sententiam, qui ad illas voces referunt Ἐκκλησία Ἰσραὴλ, quia ita in

ita quia in anno sexcētesimo sexagesimo sexto inuestigando, aliquid etiam reperitur, quod Papam Romanum detegat, esse ipsissimum illum Antichristum, non inuitus vtramque expositionem simul iungo. Nam si ad annorum numerum restringas, ineptum erit dicere aliquos habere numerum nominis Bestiæ. Et tamen cap. 14. vers. 11. dicit το χαραγμα το ονοματος αυτου eodem sensu. Idem enim significare videntur Nomen Bestiæ, numerus nominis Bestiæ, & Numerus Bestiæ, & character nominis Bestiæ. Nec est alienum à Scripturæ simplicitate (genuina simul & semper vtilitatem spiritualem spectante rectissimo intuitu, non ad oblectationem, aut ostentationem, ingenive acumen comparata) literis numerorum Græcis significari nomen alicuius, quum retrogado ordine Alphabeti, sub nomine Sefich significetur Babel, Jerem. 25. vers. 26. & ca. 51. vers. 41. Nec enim præcipua rei indicatio, id est, Romani Papatus demonstratio in hac Apocalypsi, ponitur in inuestigatione, aut coniectura nominis alicuius, quo contineatur numerus 666. sed hæc denotatio, positis præcipuis illis & irrefragabilibus argumentis, quæ ipsa per se apparent super additur cumuli loco. Quare ego quum videam hanc Bestiam esse illam meretricem, de qua cap. 17. (vbi versu. 9. & 18. aperte ostendunt Romam significari) quæcunque voces efficiunt 666. & Romanum Papatum depingent quoquomodo, vel tenuiter etiam indicabunt, ab huius loci expositione non reiciam. Itaque Dei dono, & instinctu factum existimo, vt Irenæus sanctus Christi Martyr, & Lugdunensis Ecclesiæ Pastor (quæ vtrinã ciues hodie Lugdunenses imitentur omnes) 666. repererit in λαλεινος. Quum verò 2. Thes. 2. v. 4. Romanum Papam depingat Paulus, ἀποδεικνυμι αυτον οτι εστι θεος, & quidem dicat Romanus Pontifex se Deum esse in terra, sicq; vulgò nuncupetur: 666. non incommodè reperio in his vocibus, θεος ειμι οπι γαιης, Deus sum super terram.

Cæterum, vt iis etiã qui Græcè non norūt, apertissimū sit reperiri sexcēta sexaginta sex, primū in nomine hoc Εκκλησία Ιταλικα (vnde patet illius celebratissimi suo scelere, Antichristi sedem nō esse quærendã extra Italiæ fines) deinde in λαλεινος (vt omnino in ea gente agnoscendus sit esse, vbi vel suã lingua Latina originẽ habuit, vel quū ibi vernacula esset floruit) tertio in hac oratione, quæ Romani Pontificatus essentiã circumscribit ex ipsorū definitione, θεος ειμι οπι γαιης: vt, inquã, hoc intelligat etiã quibus nō est familiaris lingua Græca, placuit subiicere quadripartitū diagramma. Primū ergo quibus literarū suarū elementis Græci perueniant vsq; ad denariū numerū & singulas sequentes decades denotent, cēturias etiã, in vna colūna descripsimus: in altera, literas quibus describitur nomẽ Εκκλησία Ιταλικα, & è regione numeros qui literis illis efficiuntur: tertia colūna idẽ præstat in nomine λαλεινος: quarta in oratione hac, θεος ειμι οπι γαιης. Doctos etiã & occupatos alioqui homines subleuabit hoc nostrū διαγραμμα labore ineundæ computationis. Statim enim percipient, in singulis istorum trium reperiri numerum hie designatum ab Apocalypsi.

1	2	3	4
Litere Græcorū, & numeri qui per eas designantur.	Εκκλησία Ιταλικα (Ecclesia Italica)	λαλεινος (Latinus) numeri qui efficiuntur ex elementis huius nominis.	θεος ειμι οπι γαιης (Deus sum super terram) & quis numerus costet ex singulis literis horū vocab. in vnū collectis.
α	1	λ	30
β	2	α	1
γ	3	20	300
δ	4	7	5
ε	5	10	9
ς	7	λ	5
ζ	8	30	10
η	8	8	50
θ	9	100	70
ι	10	10	200
κ	20	1	666
λ	30	10	μ
μ	40	300	Ex Irenzi antiquissima descriptione,
ν	50	α	1
ξ	60	λ	30
ο	70	ι	10
π	80	η	20
ρ	90	α	1
σ	100	666	Christo
ς	200		
τ	300	Ex recentioris cuiusdã sententia.	Recentissima inuestigatio eiusdem numeri.
υ	400		
φ	500		
χ	600		
ψ	700		
ω	800		

Cæterum hoc etiam vidisse quosdam ante aliquot secula, Romanum Papam usurpare quæ
 vnt Dei vnus, & Christo de suo gradu deturbato, invadere eius thronum, cum multis e-
 xemplis probarint alij scriptores: vnum tamen ego proferam, quod mihi nunc in mentem
 venit. Scripsit indubitata fidei author (in rei scilicet gestæ narratione) annis ab hinc plus
 quadringentis, cum in quodam monasterio psallerent alacriter, & deuotè monachi præsen-
 te Papa, cum Cardinalibus aliquot, eodem in templo, quendam illic in hæc verba erupisse,
 Dicite, Ego sum Christus. Illam scriptor, actionis perturbationem inuidiæ Diaboli tribuit,
 & addit, magna celeritate ita fuisse sedatam, imò compressam, vt eos qui proximè etiam a-
 stabant latuerit quod acciderat. Ego non dubito ipsissimam veritatem dixisse illum Mona-
 chum, de Papa tum ibi præsentè: qui quum vniuersalem se esse Episcopum præ se ferret,
 sanè Christum se esse dicebat. Et fortasse Diabolus etiam veritatem illam per os monachi
 est effatus, vt in Euangelio spiritus immundus clamat Iesum esse sanctum Dei.

Et hæc quidem habui quæ dicerem de numero nominis Bestiæ 666. partim vetusta par-
 tim noua.

Sed & nuper admodum extra urbem deambulanti mihi occurrit *ἡ μισα ἡ παπικὴ* (id est
 Missa illa Papalis siue Papica) quæ se numerum illum bestiæ, sexcenta scilicet sexaginta sex,
 habere contentissima voce clamat, & patet omnium oculis ex figura, & supputatione hinc
 subiecta.

8	8	
40	80	
10	1	
200	80	
200	10	
1	20	
	8	459
	207	207
		666

Nequem verò turbet quòd denominatiuum nomen nouum videmur fingere, Papicus,
 ea, cum. Est quidem certè vsitatissimum, vt à Papa fiat Papalis iuxta illud passim notum te-
 trastichon.

*Omnipotens Deus hic faciat te viuere paruo
 Tempore, nec stabilis sit tua conditio.
 Percipimus modo, quod Papalis curia curas
 Munera, nec gratis das tua pauperibus.*

Non video tamè cur non quemadmodum à poëta fit poëticus, sic à Papa fiat Papicus: imò
 sicut à Villa deriuatur & Villaticus & Villicus, sic etiã à Papa exoriantur & Papaticus & Pa-
 picus. At dicet quispiam, non vt Villam, sic Papam esse fæmineum. Ego verò morosas istas
 Grammaticorum argutias non moror, maximè cum omnibus in confesso sit hodie, Papam
 esse meretricem illam magnam: de qua Apocalypsis. Nam Latinum Missa Papica, quasi Græ-
 cas voces, elementis Græcis scribi hinc neminerit absurdum vel nouum, qui *σὺ δ' ἀειὼς*
κὸς παρ' ἡμῶν Sudarium, Quadrantem, & multa similia Latina, à seruis Dei in Nouo Testa-
 mento Græcè scribentibus vsurpari, obseruatum fuisse meminerit.

CAP. XIII.

4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati.* Quia scilicet totus clerus Papalis habet
 capillos vt capillos mulierum cap. 9. vers. 8. & Roma cum suo Papatu dicitur meretrix ma-
 gna cap. 17. Ergo idem dicitur quod cap. 15. vers. 2. de iis qui reportant victoriam ex bestia &
 imagine eius &c. & cap. 20. vers. 4. Alioqui vel soli viri nullæ autem mulieres, essent in his
 144000: vel dicendum fuit coniunctim, & addendum. Eæque sunt quæ viris non sunt coin-
 quinata, quorum neutrum conuenit. Sic autem designatur tota Ecclesia, in qua non mas &
 fæmina, sed omnia in omnibus Christus vnus: quia ipsæ etiam mulieres Christianæ sunt
 filius ille masculus, de quo cap. 12. vers. 5, 13.

Virgines enim sunt. Nempe quo sensu dicit Paulus. 2. Cor. 11. vers. 2. *ἡρμοσάμην ὑμᾶς ἰσὶ*
ἀνδρὶ παρ' θεῶν ἀβλῶ παρὰ σὶναι τῷ χριστῷ, Preparaui enim vos [quos] vni viro vt virginem
 puram, sistam, [nempe] Christo. Idipsum aliter dicitur capite. 7. versu. 9. 10. 13. 14. &
 sequentibus.

5. *Et in quorum ore non est inuentus dolus.* Quod de Christo capite dicitur suo modo,
 perfectissimè scilicet, de membris prædicatur, membrorum modo, & communicatione nempe,
 quia &

quia & remissione peccatorum, & sanctificatione, Christus eos sistit Patri immaculatos; impleturque in eis quod precabatur Paulus 1. Thes. 5. ver. 23. Deus enim pacis sanctificat eos totos, & integer eorum spiritus, & anima, & corpus inculpate in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruantur.

Sunt enim inculpati ante thronum Dei. Nempe quo sensu id dicitur Colos. 1. versu. 22.

Et hic etiam se prodit clericorum Romani Papatus inscitia, qui pro Epistola (quam vocant in Missa die Sanctorum Innocentium, canunt hos quinque versus, quasi infantuli illi cæsi ab Herode soli sint inculpati ante thronum Dei

6. *Vt Euangelizaret incolis terra.* Idem dici videtur, quod cap. 11. versu. 3. 4. 5. 11. sub nomine duorum testium prophetantium. Ergo sub Angeli huius persona intelliguntur Euangelij ministri omnes: & ita ministerij dignitas, excellentia, sanctitas designatur. Sunt enim Dei nuntij omnes Euangelij præcones, & decet recipi vt Angelos Dei, quemadmodum & de se scribit Paulus ad Galatas.

7. *Dicentem voce magna.* Versus quidem septimus continet summam quandam sanctæ prædicationis, & extat eiusmodi Act. 17. versu. 24. 30. 31. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, quum sit cæli & terræ Dominus, &c. denuntiat nunc omnibus vbique hominibus, vt resipiscant eò quod statuit diem, quo iuste iudicaturus est orbem terrarum per eum virum & c. Sed & vers. 8. 9. 10. 11. 12. ad prædicationem Euangelij spectant. Ita tres Angeli significant fideles omnes pastores, & synceros Ecclesiarum doctores. Et quod dicunt secundus & tertius Angelus, sunt magis speciales declarationes eorum quæ dixerat primus Angelus. Neque enim Deus timeri potest, nec Deo sua tribui gloria, nisi designatur adorari bestia, quod dicit tertius Angelus: nõ possunt homines abduci à bestia adoratione, nisi aperussimis verbis & sæpissimè pastores Ecclesiarum illis depingant nefandam abominationem magnæ illius Babylonis, & ei paratum exitium horrendum denuntient ipsis Ecclesiis: eodémque exitio perituros quicumque magnæ illi Babylonis sese corrumpendos præstiterint. Deus etiam timeri non dicitur nisi afflictiones perpeti parati simus, potius quàm vt suadente Babylone illa mundoque toto, discedamus à Dei mandatis & fide Iesu: quod dicunt secundus & tertius Angelus vers. 8. 9. 10. 11. 12.

13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur à modo.* Significat mortuos beatos fore, non tantum post diem iudicij: sed etiam intermedio toto tempore dum expectatur dies iudicij iam beatos esse. Supina ergo Papatus Romani vecordia, dum die Commemorationis defunctorum in sua Missa canunt pro Epistola (quam vocant) hunc versum: & satagunt pro mortuis ex igne purgatorio liberandis, quum tum dicantur & requiescere à laboribus suis, & iam beati esse.

Versus 14. & sequentes egregiam descriptionem continent diei illius magni iudicij Dei, cuiusmodi antea habuimus descriptiones in sexto sigillo, in fine cap. 6. in sexta tuba, cap. 10. vers. 6. & 7. & in septima tuba, cap. 11. vers. 15. 16. & sequentibus & in septima phiala, cap. 16. (quod ideo expositum fuit antea, non eo ordine quem habet Apocalypsis contextus, quia comparationem instituebamus necessariam sigillorum, tubarum, & phialarum inter se) v. 14. 15. 16. 17. & sequentibus.

Caput 15. & 16. habes in præparatione & collatione sigillorum libri tubarum, & phialarum. Sunt & quædam pertinentia in ipsa partitione totius libri.

Caput 17. vers. 1. Tum venit vnus ex septem Angelis, &c.

Existimant plerique non mali alioqui homines, Romanum Pontificem posse dici Episcopum Romanum, quia Episcopatum Romanum gerat, licet valdè corruptè & præposterè: itè alios omnes sub Romano Pontifice Episcopos, sacrificulos, monachos, &c. posse dici aliquomodo Episcopos, vel presbyteros Christianos, quanuis valdè degeneres ab illa synceritate Episcoporum primæ Ecclesiæ. Tota verò Apocalypsis nos monet, docet, certiores facit, & bene intelligere iubet etiam atque etiam, totum Papatum Romanum, siue Hierarchiam illam Papalem non simpliciter esse degenerem aliquam formam Ecclesiasticæ gubernationis, sed Diabolicum prorsus aliquid, quod se contegat falso nomine Christianismi, & inani quadam specie sacrorum rituum veræ Ecclesiæ Apostolicæ. Ideò de idolo illo Missatico, Pane scilicet quem in sua Missa adorant Romanenses, loquens Apocalypsis cap. 13. vers. 14. & 15. non dicit esse particulam quandam Cœnæ Domini Iesu corruptam, sed simpliciter dicit esse imaginem bestia ascendens ex abyssu, cuius bestia caput vnum lethaliter vulneratum reuixit, quam imaginem bestia ascendens ex terra iubeat incolas terre facere & adorare. Neque dicit Apocalypsis sacerdotium, & monachatum Romanum, esse presbyterium Ecclesiasticum, quod à vetere illa integritate in alienam formam conuersum est, sed dicit cap. 9. versu. 3. esse locustas ascendentes ex fumo putei abyssi & cap. 16. vers. 13. esse impuros spiritus (dæmoniorum quippe spiritus) similes ranis prodeuntes ex ore

draconis, bestiae & Pseudoprophetae. Sic etiam reliqua omnia similia si quis percurrat in Apocalypsi, facile erit intelligere huc esse libri scopum. Denique quemadmodum tradunt rerum naturalium scriptores, & qui de agricultura praecipunt, ipsis autem agricolis rerum experientia confirmat, bonum triticum, & purissimum semen nonnunquam sic corrumpi, ut in lolium vertatur, neque tamen tunc grana illa ipsa siue spicas perseverant nominare triticum quidem, sed corruptum: imò apertissime & maxime ingenuè dicunt esse lolium: ita prorsus Romanum Papatum (quatenus est Romanus Papatus) non dicemus esse corruptam Ecclesiae formam, sed reuera esse Diaboli semen, & zizania ab inimico homine sata, & sparsa inter sacras Dei segetes. Hac ipsa de causa (inquam) Romanus Papa cum suo Papatu dicitur hic, non degener aliquis Petri successor, aut Pastor aliquis Ecclesiae negligens in officio faciendo: sed, Meretrix magna cum qua scortati sunt reges terrae, & cuius scortationis vino inebriati sunt incolae terrae: dicitur Babylon magna, mater scortationum & abominationum terrae, ebria sanguine sanctorum, & sanguine martyrum Iesu.

4. *Et mulier erat circumdata purpura.* Bernardus libro de consideratione 4. pulchrè hæc nobis describit in Romani Papae proteruita & luxu. Quale est (inquit) quoddam de spoliis Ecclesiarum emuntur qui dicunt tibi Euge, Euge, Pauperum vita in plateis diuitum seminatur, argentum micat in luto: vndique tollit illud non pauperior, sed fortior, aut qui fortè citius praecurrit. A te tamen mors iste, vel potius mors ista non coepit, in te vtinam destinat, &c. Inter hæc tu pastor procedis de auratis, tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt? si auderem dicere demonum magis quam ouium pascua hæc. Scilicet sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat? &c. hic, hic non parco tibi, ut parcat tibi Deus. Pastorem te certè huic populo aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cuius sedem tenes, te neges hæredem. *Petrus hic est qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non reclusus auro, non vetus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris.*

Hæc Bernardus ad Romanum Papam. Porro vt capiti flagitioso conformari studet inferiores alij suo quisque gradu, passim idem Bernardus Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, monachorum quoque quorundam & sacerdotum perstringit & damnat sumptuosum illum omnem & curiosum, Ecclesiaeque ministris indignum ornatum, & apparatus. Vnus pro omnibus locus sufficiet, ex infinita propè multitudine similium sententiarum. Ad Henricum enim Archiepiscopum Senonensem scribens, & eum officij sui commonens, Nec superfluous in victu (inquit) nec notabilis in vestitu, &c. Ita exemplo Apostoli honorificabitis ministerum vestrum. Ministerum, inquam, non dominium. Ipsum itaque honorificabitis, non vos. Nā qui quæ sua sunt querit, se cupit honorari, non ministerium. Honorificabitis autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis: sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis. Quam multi aliter? Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus. Quibus ego si rememorem illud Apostolicum, Non in veste pretiosa: vereor ne indignetur, dum nimirum indignum ducant in se assumptam sententiam, quam prius in viliorem sexum & ordinem prolatam fuisse recognouerint. Quasi verò non eodem vtantur medici ferro secandis Regibus, quo & popularibus hominibus: aut capiti fiat iniuria, si ipsis forcipibus capilli excrescentes detondeantur, quibus & vnguium fuerint refecata superflua. Attamen si dedignantur pati cum mulierculis, non quidem à me, sed ab Apostolo, feriri sententia, dedignantur & cum ipsis eadem inuolui culpa. Despiciant iam textricum siue pellificum, & non propriis operibus gloriari. Horreant & murium rubricatas pelliculas manibus circumdare, &c. Respuant & apponere pectori, quod decentius ornat gemma sapientiae. Pudeat & collo circumtexere, quod honestius atque suauius Christi iugo submittitur. Non Christi stigmata sunt hæc, quæ isti martyrum exemplo circumferant in corpore suo. Muliebria potius noscuntur insignia, &c. An non & hic Bernardus clerum Romanum muliebri ornatu nobis depingit?

Verf. 6. *Vidi mulierem illam ebriam sanguine sanctorum & sanguine Martyrum Iesu.*

Quid enim eam non sorbere animo, quid non haurire cogitatione & sanguinem non bibere censetis.

Ferunt Aeschynem cum Rhodo exularet, & Rhodiis quibusdam Demosthenis orationem recitaret, illi autem admirarentur, subiecisse, Quid si bestiam ipsam sua verba sonantem audissetis? Aliquid & nos hic simile meritò dicere possumus. Cum Ioannes in visione imaginem quādam intuens abominationum Romani Papatus, admiratione magna se admiratum fuisse dicat, exclamare licet, Quid ergo si bestiam ipsam sua verba crepantem, & horrida fulmina cum ore efflantem, tum totius corporis mole formidabili torquentem audisset & conspexisset? Quid verò miserum mundum facere, dicere, & sentire par est, qui iam tot seculis, huius bestiae Romanae ludibria perferre cogitur?

7. *Ego dicam tibi mysterium mulieris & bestia que portat eam.* Bestia hęc est Imperiū Romanum, vt & nominatur apud Danielem, quemadmodū & præcipuæ aliæ tres quæ præcefferant Monarchiæ. Vide autē quæ iam antea notauī prolixè, nec sine causa hęc repeto, quædam breuiter perstringens. nō sine causa, inquā, repeto, nequis imperitus putet Scripturam cū Scriptura pugnare, & Scripturæ contradicere. Bestiæ vocātur apud Danielem præcipua illa mundi imperia: ipsum quoq; sacrum Romanū Imperium Spiritus Dei, qui sic loquutus erat per Danielem, eadem appellatione hęc signat. Sed hoc sinistram nullam notam inurit Dei ordinationi, & sacrosanctæ magistratus potestati, quin de ea optimè sentiamus, quemadmodum passim docent Scripturæ. nec malè sentiebat de regia Ezechia potestate Isaias, cū eum diceret presterem, & regulum (quæ sunt venenatorū serpentum nomina) imò tum etiā honorificentissimè de eo loquebatur. Ergò illustrissimis sacri Romani Imperij electoribus, & bonis Imperatoribus, quibus vt in ore, sic in corde quoque & manibus, id est, omnibus vitæ actionibus, suaue est, & cordi illud, Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, benedicit è cælo Deus per hunc sanctum Apocalypsis librum. Imò quicūque sint Principes, & magistratus, eis Christianos etiā omnes subiici oportet & obedire, quoad fieri potest saluo Dei honore, & illæsa conscientia, sine vllō, inquā, neglectu pietatis officiorum, dicebat Dominus, Dicite vulpi illi, & c. de Herode loquens: idem tamen persoluebat didrachma, & de censu interrogatus, Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, inquiebat. Dicebat Paulus, Liberauit me Dominus ex ore leonis, de Nerone Romano Principe loquens: idem tamen Rom. 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. non enim est potestas nisi à Deo: & quæ nunc sunt etiam potestates, sunt à Deo ordinatæ. Sic enim vertendū est ibi illud, αἱ ἑξασταὶ ἐξουσίαι (quemadmodum & prolixius diximus in nostris lectionibus in Epistolam ad Romanos) quia & articulus hęc specialem expressionem hęc habet, cū antea sine articulo dixisset Paulus οἱ ἑξασταὶ ἐξουσίαι: & coniunctio ἡ suam quandam habet ἑμψασον. Opponuntur ergo αἱ ἑξασταὶ ἐξουσίαι (Romanum scilicet Imperium, quod tum persequebatur Christianos, & Euangelij doctrinam) ταῖς ἡγεμονίαις (id est, aliis quibusdam, quæ antea fuerant, & fauorem præbuerāt Ecclesiæ Dei qualis describitur Cyrus procurans instaurationē vrbis, & tēpli Dei) καὶ ταῖς ἡγεμονίαις, id est, aliis quibusdam, quæ postea vēturæ erant, Christianis scil. Imperatoribus, inter quos emicuit studiis pietatis Constantinus ille: in quo tamen multa meritò reprehendūt vetusti quoq; scriptores. Vtrisque autem obedire oportere Christianos etiā, dicit Paulus, siue Christianis, inquā, magistratibus, siue non Christianis: & siue Ecclesiasticæ pietati fauentibus, siue eam exosis. Sed hæc pluribus profsequi nolo, quæ his ipsis locis huius libri sanctissimè tractauit fidelissimus Ecclesiæ Tigurinæ pastor, beatæ memoriæ vir Henricus Bulingerus.

Porro, vt de hoc loco dicere pergamus, de Bestia, inquit Apocalypsis. *Erat* (sic enim verito *in*: non, fuit: quod potius dixisset ἐγένετο) & non est, & ascensura est ex Abyſſo, & in exitium abitura: propter subinde nutantē imperij Rom. statū, maximè cum pro foribus futurus erat Antichristus, & toto Antichristi tēpore, adeò vt vmbra tantum quædam Imperij Romani extare videatur. Et consentit Daniel cap. 2. v. 41. 42. 43. qui pedes imaginis partim fictiles, partim ferreos, vel partim luteos esse dicit, & ferro mixtos, cum crura essent ferrea rota. Dicitur mulier illa & meretrix insidere ipsi bestiæ, quia Antichristus vel Romanus Papatu quodāmodo portatur, & vehitur humeris Imperij Romani, ipsum scil. nefarij, & infaulti corporis sui vasta, importuna, & prorsus molesta mole opprimens, ac obruens.

10. *Et reges septem sunt.* Ergo 17. reges, quia & decē cornua sunt decē reges v. 12. Respondeo hos septē reges esse alio modo, quam sint illi decē. Itaq; septē reges dici puto honorificentissima appellatione, Illustrissimos septē principes Germanos sacri Romani Imperij electores. Possunt. n. & ipsi suo quodā modo dici reges. Versatū n. dicitur ipsa bestia esse rex octauus, quia Imperator Romanus alius est ab illis septē electoribus, & tamē dicitur esse ὁ ἑβδόμος, ex illis septē, vel potius ab illis septē: quia septē illi ipsum creat. Sic. n. propositio ἐστὶν fumenda est hoc loco: necnon alibi quoq; hoc significatu sumi tradūt in lingua Græca bene versati homines. Vers. 12. decē cornua, qui dicūtur esse decē reges, intelligo complura regna (decē enim numerus certus pro incerto positus esse videtur) quæ tēpore Ioannis nondum erant, sed postea emerferūt, puta Gallia, Hispania, Portugallia, Nauarra, Castilia, Anglia, Scotia, Vngaria, Polonia, Bohemia, Dania, & similia. Et omnia cum bestia. i. noua hac, & debili, siue vmbra formata Imperij Romani acceperunt potestatem *μίας ὥρας*, ad horam vnam, id est, ad breue tēpus, quum contrā perpetuum sit regnum Agni. Hi omnes vnum consilium habent (inquit vers. 13.) & vires ac potestatem suam bestiæ tradent: agnoscunt enim ipsi suo quodam modo Imperium Romanum, & cum Imperatore Romano consentiunt ad fouendam & faciendam illam meretricem, Antichristum scilicet, & oppugnandum Agnum Christū, fidelisque eius. Versus autem 16. promittit fore, vt illa ipsa tamen regna, quæ quodammodo profitentur se pendere ab Imperio Romano, meretricem illam affligant, &

desolatam ac nudam reddant, &c. Cuius Dei iudicij initia, & progressus videmus, quæ Angliæ & Scotiæ regnum profligarint Romanum Papatum: vrbes etiam multæ & potentes Respublicæ: ac principes viri in Germania, & ipsa Geneua cum Heluetiis præcipuis & nobilissimis ciuitatibus. Hæc enim omnia comprehendo sub decem regum appellatione.

Quinque ceciderunt. Sensus est, vt puto, non magnæ durationis fore horum dominatum, sed titubantem quandam molem. Intellego autem hoc per comparisonem, respectu scilicet Ecclesiæ cum Christo quorum regnum fuit semper in mundo (etsi non est ex mûdo) & post hunc mundum florebit in omnem æternitatem seculorum. Nam alioqui, quòd ad statum rerum huius mundi attinet, magnum aliquid est, sacrum illud consilium septem electorum imperij totos prope sexcentos annos perdurans: magnum aliquid & ipsæ nobilissimæ domus Electorales. Sed etsi hi erunt magni Principes, & quasi reges: tamen modò videbuntur propè concidisse omnes, modò hic, vel ille eminebit, & caput attollet. Sed hæc omnia erunt euanida, quia terrena: Agni verò & eorum qui sequuntur ipsum, regnum erit æternum, nec vlla ætate extinguetur in hoc mundo. Patet autem sic intelligendum: quia alioqui non esset ab illis septem Bestia, quæ est rex octauus, nisi illi septem simul existerent. Sic ergo statuo: quod dicitur hîc de septem illis regibus, *Quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit: & cum venerit, oportet illum breue tempus manere:* descriptio est (vt videtur) nutantis status, & malè etiam cohærentis concordiæ. Censeo etiam quasi prouerbialiter esse hanc loquendi formam, quemadmodum cum malè cõuenire inter quosdam (quos tamen officij ratio admonet fouendi inter se consensus) notare volumus, vernacula lingua nostra solemus dicere, *L'un va en auant, l'autre tire en arriere.* Ita prorsus Apocalypsis dicit hos septem, cum sint collegæ, non tamen pari singulos esse authoritate, nec firmum satis inter se retinere consensum, sed quasi malè coagmentata quodammodo membra inter se esse. Idèò, inquam, prouerbialiter propemodum loquens dicit, *Reges septem sunt: quinque ceciderunt, & vnus est, alius nondum venit: & cum venerit: oportet illum breue tempus manere.* Sic autem sumendum esse hunc locum, patet etiam ex versu 8. vbi de ipso imperio Romano loquens prouerbialiter quoque illud dicit, *Bestia quæ erat, & non est, & tamè est.* Nisi enim prouerbialiter dictum intelligas, absurdus erit sermo ille, & contradictionem implicabit, nec poterit verus reperiri. Nam quomodo (quæso) alioqui res eadem erat, & non est, & tamen est?

Verf. 12. *Sed potestatem tanquam Reges accipiunt vna hora post Bestiam.* Sic vulgata versio, vt videatur legisse $\mu\epsilon\tau\alpha\ \tau\omicron\ \delta\epsilon\ \theta\epsilon\iota\omicron\nu\omicron$, non $\mu\epsilon\tau\alpha\ \tau\epsilon\ \theta\epsilon\iota\omicron\nu\omicron$: hæc tamen vsitatissima lectio, gemina prorsus est, *Accipient potestatem cum bestia.* Sed illud, *Vna hora,* meliùs fortasse in quarto casu diceretur, *Vnam horam,* vel *Ad horam vnam,* $\mu\epsilon\tau\alpha\ \omega\pi\alpha\nu$. Neque enim tam significatur tempus quo illa omnia regna simul exorientur, quàm temporis spatium quo perdurabit eorum potestas, vt iam antea breuiter attigi. Denotat ergo hæc vocula, breuissimi momenti esse regna omnia huius mundi, si conferantur cum gloriosissima æternitate potentissimi, & beatissimi regni ipsius Agni. Ita $\mu\epsilon\tau\alpha\ \omega\pi\alpha\nu$, Matth. 26. v. 40. & Marci 14. v. 37. Nõ potuisti vnam horã vigilare mecũ. Hoc tantum discrimen est, quòd duobus illis locis Dominus Iesus loquitur de hora propriè dicta, hîc autè Apocalypsis per similitudinẽ sic designat exiguum aliquod tẽporis curriculum, rem scilicet cõparatè intelligens, vt admonui: Gallica autè versio nõ satis cõmodè, *Prendront puissance en vn temps.* Meliùs enim, *Prendront puissance vne heure:* vel si mauis, *Pour vn temps,* aut etiam, *Pour peu de temps.*

13. *Potestatem suam bestia tradent.* Fortasse meliùs Impertientur, conferent, communicabunt. non quasi ea se spoliunt ipsi, sed quia subesse se Imperatori Romano quadamtenus profitebuntur. Et ita exponendum $\delta\epsilon\ \nu\alpha\iota$ verf. 17. pro $\delta\iota\alpha\ \delta\iota\delta\omicron\nu\alpha\iota$ vel $\delta\iota\alpha\ \delta\epsilon\ \nu\alpha\iota$. Ita habes hic secularis illam impiam brachij communicationem, cum brachio spiritali (vt loquuntur Papistæ) ad infectandum Christi Euangelium. Bestiæ enim huic insidet meretrix, & eo respectu [quatenus scilicet ipsi Bestiæ insidet meretrix] suam ipsorum potestatem tradunt Bestiæ isti reges.

14. *Et qui cum eo sunt.* Sensus esse potest, vocatos, & electos & fideles esse suo quodammodo reges regũ, & dominos dominorum cum Agno [& huic sensui consonat quod est Dan. cap. 7. v. 14. 18. 22. 26. 27.] vel vocatos, &c. cum Agno victoriam reportare ex illis decẽ regibus: quatenus scilicet isti reges, vt meretricem foueant, oppugnant Agnum. Hoc sensu essent parenthesi includenda illa, *Quoniam Dominus dominorum est & Rex regum.*

Verf. 15. *Aque quas vidisti, &c.*

Quod dicit Apocalypsis a quas multas vbi meretrix sedet esse populos gentes, turbas, & linguas, verissimum est. Semper enim seculisque omnibus (heu) nimis multi in impietatem hanc & spiritualement tyrannidem Romani Antichristi consentiunt, ei que subiici vel ambitiosè appetunt vltro, vel astutè decepti vinculis illis illaqueari se sinunt: vel quantumuis

Tu mis inuiti & reluctantes, impositum tamen iugum totis humeris sustinent. Eius rei exemplum esto vnum ex multis, Papatus Eugenij quarti. Is enim etsi rebus Romanis valde confusus, & Romani Antichristi cathedra variè nutante, tum propter multiplex schisma, quod paulò antè fuerat, cui Synodus Constantiensis mederi erat conata, tum propter nouum etiam schisma, & Amedæum Ducem Sabaudia Pontificem creatum in concilio Basiliensi: pontificiæ tamen tyrannidis assensum vel extorsit, vel quoquomodo habuit non parum, vt testantur marmoreo eius sepulchro in Basilica S. Petri inscripti versus,

Eugenius iacet hîc quartus, cor nobile cuius

Testantur vita splendida facta sua.

Istius ante sacros se præbuit alter ab ortu

Alter ab occasu Casar vterq; pedes:

Alter vt accipiat fidei documenta Latine,

Alter vt aurato cingat honore caput.

Quo duce & Armenij Graiorum exempla secuti,

Romanam agnorunt, Ethiopesq; fidem

Inde Syri, ac Arabes, mundi q; e simbus Indi.

Magna se d hac animo cuncta minora suo.

Nam valida rursus seueros iam classe petebat:

Dum petit, aëst illum sustulit atra dies.

Vides vt summi Imperatores ab Oriente & Occidente, remotissimi verò hinc inde populi Græci, Armenij, Indi, Arabes, Ethiopes, longa terrarû spatia emetiantur, vt Diabolico huic idolo genua flectant, imò totos se in eius conspectu humi prostratos sistant. Quid verò mirû, cum ad ipsa vsq; tartara eos deicere, & in inferos secû trahere paratissimus fuerit Diabolus ille Romanus Catholicus? Nequis verò existimet Eugenij quarti pietate, sanctitate, religione in Deû, charitate in homines, aut honesta aliqua prudētia factû, vt eiusmodi aliqua eius virtute commoti, ei sese subiicerent illi quos dixi: audiamus quid de ipso scribat Platina, Principio Pontificatus sui (inquit) malis consiliis ductus diuina, humanaq; omnia perturbauit, & populum Romanum ad arma exciuit, &c. Bella autem ita semper amauit, quod mirum in Pontifice videri debet, vt ad ea, quæ scripsimus ab eo in Italia gesta, & Delphinû Caroli Regis Franciæ filium, composita prius inter Regem, & Ducem Burgundiæ pace, cum magno equitatu Basilienses concitauerit, cuius impetus dissipatus ille cõuentus est, &c. Quàm pulchrum verò est illud, & verè Catholicû Romanum, siue Papale quod de eodè Eugenio idem paulò post scribit: Constans præterea in pactis seruadis est habitus, nisi quid pollicitus fuisse, quod reuocare quàm perficere fatius esset: rebus scilicet ipsius.

Verf. 16. *Et decem cornua quæ vidisti in bestia, &c.* Quod verf. 16. & 17. dicitur de decem cornibus in bestia odio persequentibus meretricem, &c. quia Deus dedit in corda eorû, vt faciant quod placitum est ei, &c. pulchrè cõprobatum fuit mira illa mutatione rerû, & implicatissimo circuitu in Henrico VII. Angliæ Rege. Nam cum in Lutherû scripsisset, & collaudatus à Romano Pontifice, fidei defensor ideò esset nuncupatus: paulò post, quod Clemens septimus, veritus Caroli quinti Cæsaris iram, nolisset cum Cæsaris matertera, Catharina vxore diuortiu ei permittere (cuius spem tamen fecerat, authoribus etiã & rei odiosæ instigatoribus Episcopis quibusdam Papistis Angliæ) indignatione cõcepta, quicquid reddituum pecuniarum, & emolumentorum Romani quotannis Pontifices ex Anglia percipiebant, aliò transfudit: & sub pœna capitis vetuit eo nomine, quicquam rerum eiusmodi ex tota sua ditone Romam importari. Sic fidei defensor desolatam reddidit meretricem Romanam, id est, Papatum.

Verf. 17. *Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum est illi, &c.* Pauca hîc de vocibus ipsis dicere cogor, quia sic facilius res percipitur. Nomen *ἑνώμη* hîc ter occurrit, & vicinâ quidem significatione, sed non eadem prorsus, vt quidè puto. Nam verf. 13. *ἑνώμη* ἔχουσιν hoc ipsû est, quod & Græci dicunt *τὴν αὐτὴν ἑνώμη* ἔχουσιν, vel etiã *τὴν αὐτὴν ἑνώμη* ἔχουσιν. At ferè legitur, nō absolute vt hîc, sed cū præpositione *πρὸς* vel *πρὸς*, & casu nominis sequente. Itaq; hîc quoq; aliquid subaudiendû videri possit ex re quæ tractatur, nēpe *πρὸς ἑνὴν ἑνώμη* ἔχουσιν, vel *πρὸς τὴν ἑνώμη*, idē inter se sentiūt de bestia, vel, eodē animo affecti sunt erga bestiam, quippe qui eiusdē sententiæ sint cū bestia ad portandam meretricem. Hæc de primo loco. Sed postea vno eodémque versu (nempe 17.) legitur *πρὸς ἑνὴν ἑνώμη* αὐτῶν, & *πρὸς ἑνὴν ἑνώμη*. Illud quidem *πρὸς ἑνὴν ἑνώμη* αὐτῶν non malè redditur, Vt faciant quod placitû est ei. Quia tamen placent Deo simpliciter quæ lege decem mandatorû præcepit, paulò autem aliter placent ei (secundum quid scilicet) nōnulla eorum quæ pendent ab arcana eius prouidētia, & abscondita volūtate: ambiguitas omnis hîc vitari posset. *πρὸς ἑνὴν ἑνώμη*

εὐλῆ vertamus, vt faciant decretū ipsius. i. vt exequatur eius decretū: (Ita enim vt puto, apud
 Ciceronē Cæsar dicitur Augurum decreta facere. i. obedire Augurū decretis) nam fortasse
 idē Paulus ad Rom. cap. 12. v. 1. & c. de regula bene viuendi, & lege morū à Deo tradita, non
 dicit simpliciter τὸ θέλημα θεοῦ τὸ ἀρετὸν, sed τὸ ἀγαθὸν ἔ ἐν ἀρετῶν ἔ λέγει, quasi minùs signifi-
 cet τὸ ἀρετὸν quàm τὸ ἐν ἀρετῶν. Porro quòd eodē ver. 17. additur ἔ ποιεῖται μίαν γνώμην cū La-
 tina versio prætermiserit, nō sine magna tamē causa additū fuerat. Proponit. n. decretū Dei
 bonū & iustū, operantis, & iudicia sua exercentis per hominum impiū decretum meretrici
 fauentium. Rectè ergò vertitur, & vt consentiant. Quemadmodum enim annotat callentis-
 simi linguæ Græcæ homines, γνώμην ποιεῖται aut aliquādo etiā pluraliter γνώμας ποιεῖται esse,
 Statuere, deberre, cogitare, decernere, censere, ita cōuenientissimo verbo significatur, &
 tacita istorum conspiratio defucanda & tuenda meretrice: & cū secundum eam (meretri-
 cem scilicet) certatim decreta faciant (eorum nempe vnusquisque pro se, vt dici solet, & per
 se) quasi tamen vnum ipsorum omnium decretum esse, quia eorum societas, & scelerata con-
 sensionis fides semper in veræ Christi, Ecclesiæ perniciem aliquam erumpit. Itaque dicuntur
 ποιεῖται μίαν γνώμην, consentiens decretum facere. Et hīc rursus vt antea, aliquid subau-
 diendum est ex subiecta materia, vt dici solet. Nam quum γνώμην ποιεῖται vsurpent Græci
 scriptores sequente infinitiuo, vel præpositione μετὰ cum genitiuo: hīc quoque intelligun-
 tur isti reges μίαν γνώμην ποιεῖται μετὰ τὴν θεοῦ καὶ μετὰ τὴν πόρνης, aut aliquid simile. Faciunt er-
 go isti Dei decretum, quia occultæ eius voluntati nescientes parent (vt ita dicam) & malè
 quidem parent: faciunt iudem consentiens inter se decretum, quia edictis suis confirmare
 perseuerant meretricis factum quæ portatur à bestia. Cæterum Gallica versio his in locis
 partim obscura, partim ambigua videri potest. Oliuetani dico versionem, nam vetustio-
 rem Gallicam hodie non habeo: etsi in Gallia vidisse me recordor, atque etiam me pue-
 rulo adhuc, fuisse inter matris libros exemplar Gallicum veteris & noui Testamenti im-
 pressum Lugduni. Et quidem dicebatur versio illa Gallica facta fuisse regnante in Gallia
 Carolo V. atque adeò ipso regis ipsius iussu. Vnde cogitandum relinquo Christianis om-
 nibus viris, piis etiam matribus familiās, & Deum timētibus honestis virginibus, quo spi-
 ritu hodie agantur noui quidam contubernales Domini Iesu, qui libris etiam, speciatim ea
 de re à se editis profiteri, & asserere audent nefas esse linguis vernaculis legi sacras scriptu-
 ras, & alio quàm Latino, Græco, & Hebraico idiomate: qui, inquam, reprehendere audent
 in tanta Euāgelij luce, tot populorū & Gentium, tot potentissimorū Principum egregium
 hoc factum, de procuranda variis in linguis omnibus hominum ordinibus sacra scripturæ
 lectione. Hoc scilicet factum laude dignissimum hodie reprehendere audent, isti cuius author
 iam olim fuit suis Gallis, & donator Christianissimus Galliarū Rex Carolus V. vt dixi: nec
 dubito aliquā tam laudabilis eius instituti mentionem, fieri in rerum Gallicarū annalibus.
 Sed hæc obiter non tamen extra rem profus. Vt autē reuertar ad Gallicā Oliuetarij ver-
 sionem, in ea hīc aliquid desidero. Nam v. 13. ἔτι μίαν γνώμην ἔχουσι, dicit ille, *Ceux ci ont
 vn mesme conseil: ego malim, Vn dessein, vel, Vn mesme dessein, vne mesme intention.* Neq; e-
 nim Gallis *Conseil*, eadem omnia significat quæ Latinis *Cōsiliū*: sed *Conseil* vel ipsos con-
 siliarios notat, vel relatè consiliū, quatenus datur aut accipitur: minimè verò (vt credo) *Con-
 seil*, est tacita alicuius cogitatio apud se: nisi cum ex Scripturæ more loquentes de Deo, di-
 cimus *le Conseil de Dieu*. Postea v. 17. ὁ γὰρ θεὸς ἔδωκεν εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν ποιεῖται τὴν γνώμην αὐ-
 τῶν Oliuetanus vertit, *Car il a mis en leurs cœurs qu'ils facēt ce qu'il luy plaist*: fortasse, propter
 eā quā dixi in Latina oratione rationē, minus ambiguū esset, *Ce qu'il a déterminé*. Postremò
 illud ἔ ποιεῖται μίαν γνώμην reddidit, ἔ qu'ils facent vne volunté: ex quo vix video quis sensus
 elici possit, obscurū enim omnino illud est Gallis Græca ignoratibus. Quare sic, vt puto, nō
 incōmodè, *Et que d'un accord ils prennent leur resolution.* Et hæc quidē de verbis dicta sunt o.
 Cæterum quod ad rē ipsam attinet hic v. 17. opportunissimè reddit rationē, quomodo fieri
 possit vt decē reges meretricē tandē odio persequantur, qui suā ipsorum potestaté bestię
 consecrarant, à qua bestia portatur, vel cui bestia insidet mulier meretrix. Innuat enim ab
 initio quoq; debuisse ipsis odiosissimam esse meretricē, si officij sui meminissent, & mere-
 tricis scēditatem (cuius non obscura testimonia oculis etiā suis cernebāt) nolissent conni-
 uentes dissimulare. Innuat & singulos ipsorum multas persepe, easq; iustissimas omnes ha-
 buisse causas, propter quas subinde in meretricis caput inuolarent (toties à turpissimo pro-
 stibulo delusi, decepti, & discepti etiā) si vel Dei legi obedire, vel etiā humanitas sua pri-
 uata (vt ita dicam) & publica suorum commoda prudenter & honestè procurare in animo
 habuissent. Sed quia Christo Dei reuerenter, obedienter, & bona fide seruire nolebant, di-
 gnissimi erāt qui sese miseri, cæci & stulti cum aliquo suo dedecore, imo nonnunquā igno-
 miniosissimè etiā subiicerent Antichristo. Et quidem siue vetustiora recordamur, siue co-
 gitamus ea quorum recentior est memoria, quoties modo hi modo illi visi sunt sese extri-
 caturi

catum ex huius meretricis laqueis? Ita scilicet iræ erant magnæ inter eam & ipsos, ut spes esset posse auelli: & sic populus quoque ipse vulgò cogitabat. Sed postea fabulæ. Et reuera quod de scædis amoribus apud Comicum dicit ille, de ista quoque meretrice eò res redibat, ut Amantium iræ amoris redintegratio essent. Itaque significat hic locus Apocalypsis, Deum iusto suo iudicio (iratum istis regibus scilicet) in aliud, quàm quod debebant & poterant multis de causis, & tentare etiam nonnunquam videbantur, flexisse eorum corda ad tempus, ad consentiendum scilicet cum Bestia cui insidet meretrix, donec compleantur verba Dei. Id est, donec suo tempore meretricem euertant, quemadmodum decreuit Deus. Nec quenquam offendere debet, quod dicitur Deus dedisse in corda istorum, ut suum ipsorum regnum dent Bestiæ, & ita faciant suum consilium, id est Dei, & habeant vnum consilium cum Bestia, quæ portat meretricem. Hoc enim facit Deus suo modo, id est, ut Deus, ergo potentissimè quidem, sed iustissimè quoque, sapientissimè, & sine vlla peccati hominum, vel Diaboli participatione, vel approbatione. Deum siquidem esse, ista omnia maximè propriè complectitur: esse scilicet ipsum potentissimum, iustissimum, sapientissimum, sanctissimum, ab omni peccati labe, commercio, approbatione, participatione alienissimum. Et hæc quidem breuissima, & facilima mihi videtur huius locutionis, & similibus omnium quæ in scriptura reperiuntur, explicatio, quemadmodum dixi, & copiosè tractaui in meis lectionibus in epistolam ad Romanos capite 1. & 9. Tradit Deus idololatrias cupiditatibus cordium ipsorum, ad impuritatem, tradit eos *εις αὐτὴν ἀτιμίαν* Rom. 1. Vertit Egyptiorum cor, ut odio haberent populum suum Psalmo 105. Dedit in corda istorum Regum, ut sua regna darent Bestiæ, & vnum consilium haberent cum Bestia. Hæc Deum facere certissimum est, quia dicit scriptura sacra, quæ nulla omnino in re mentitur: sed cogitandum facere ea ipsum suo modo, ergo sine peccato. Si enim eum hæc facere putamus instar hominum peccantium, iam Deum imaginamur, non Deum, qui scilicet non suo modo operetur, sed alieno: quod absit ut sentiamus, quia dictu nefandum est prorsus, & cum Diabolica blasphemia coniunctum. Vide Calvinum in Institutione, & Psalmo 105. vers. 25. Cui planè consentiens est Lutheri quoque doctrina, tum alibi passim, tum in epistola ad Antuerpienses fratres. Et hæc fuit Augustini etiam ipsius sententia, in variis scriptorum eius partibus: mihi tamen præter cætera placent libri duo de Ordine, ubi & elegantissimè, & sanctissimè disputat, vtrum omnia bona, & mala diuinæ prouidentiae ordo contineat. Sanctorum verò istorum virorum, scripturas interpretantium, & ipsarum scripturarum hac in re, breuis hæc & orthodoxa est sententia: Multa quidem Dei opera esse creaturis incomprehensibilia, omnia tamen ad vnum esse irreprehensibilia, quia non minùs in sanctitate, iustitia, sapientia, quàm in summa potentia facta sunt. Idque egregiè in illis libris Augustinus: Itaque (inquit) velut compellitur ratio tenère non immemor pietatis, aut ista terrena non posse à diuinis administrari, aut negligi, atque contemni, potiùs quàm ita gubernari, ut omnis de Deo sit mitis, atque inculpanda conquestio, &c. sed hoc pacto (inquit) si quis tam minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra vnius tessellæ modulum, acies eius valeret ambire, vituperaret artificem, velut ordinationis, & compositionis ignarum: eò quòd varietatem lapillorum perturbatam putaret, à quo illa emblemata in vnius pulchritudinis faciem congruentia simul cerni, collustrarique non possent. Nihil enim aliud, minus eruditus hominibus accidit, qui vniuersarum rerum coaptationem, atque concentum imbecilla mente complecti, & considerare non valentes, siquid eos offenderit quia suæ cogitationi magnum est, magnam putant rebus inhærere scæditatem. Cuius erroris maxima causa est, quòd homo sibi ipsi est incognitus, qui tamen ut se noscat, opus habet consuetudine recedendi à sensibus, & animum in seipsum colligendi atque in seipso retinendi. Hæc Augustinus, consentanea planè cum illo Ecclesiastæ capite vndecimo, Quemadmodum tu ignoras quæ sit via spiritus, quomodo ossa in ventre prægnantis: sic nescis opus Dei, qui facit omnia. Qui aliter loquuntur, dilutam hac in parte habent Theologiam non puram, synceram & genuinam. Sed quid mirum sacrosanctas scripturas hæc clarissimè decantare ad nostram ædificationem, & consolationem, Dei autem potentiae, sapientiae, iustitiae, & bonitatis magnificentissimam gloriam? quid mirum eadem reuocari nobis in memoriam à sanctis viris, Augustino, Lutero, Zuinglio, Oecolampadio, Caluino, Petro Martyro, VVolfgango Musculo, & aliis plerisque tanquam quibusdam Dei Angelis? cum huius sanctissimæ simplicitatis ac modestiæ in considerandis Dei operibus testimonia, documenta, & præcepta ab Ethnicis quoque hominibus extorserit ante multa secula, & per os eorum etiam nobis tradiderit Deus. Sic enim Galenus, Quæ autem iam facta sunt, neque tentes, neque audeas quærere quemadmo-

dum facta sint. Quæ enim facta esse ignorabas, nisi ab anatome edoctus fuisses, qualiter merito audes quærere, qua ratione facta sint? Satis ergo tibi sit nouisse, vnamquamque particulam pro rerum commoditate & vsu constructam fuisse. Si verò præterea conaberis, quo pacto ita facta sit inquirere, palam fiet, nec tuam imbecillitatem, nec opificis illius sentire potentiam. Sic autem rectè Plutarchus ex Platonis Phædone: Deum ita legibus latis omnia constituisse, vt siquid postmodum accideret mali, ipse eius culpa vacaret, & c. Item, propterea legibus ita omnia sanxit, vt extra culpam ipse mali esset eius quod erat singulis euenturum. Sed de his satis: & quidem alibi hoc ipso libro diximus quædam eò pertinentia. Nempe in partitione ipsius Apocalypsis, quum scopum finemque præcipuum capituli quarti & quinti indicauimus: item argumentum traderemus sex primorum versus capituli octaui, similiter & vbi argumentum capituli decimi quinti, & decimifexti. Denique apertius etiam in expositione capituli quarti & quinti, de throno Dei, & libro ob signato septem sigillis.

18. *Et mulier quam vidisti est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.* Est hic ver. veluti clavis quædam ad intelligentiam totius libri Apocalypsis, hoc modo. Romam nemo sanæ vnquam mentis negauit esse urbem magnam, quæ tum habebat regnum super reges terræ. Mulier autem meretrix insidens bestię coccinæ cap. 17. v. 3. est vrbs illa. Et eadem est bestia posterior cap. 13. v. 11. saltem quodam circuitu prolixiore significatur, ibi per bestiam posteriorem ascendentem è terra. Eiusdem fit mentio cap. 14. v. 9. & v. 11. & cap. 15. v. 2. & cap. 16. v. 2. & v. 10. in phialarum effusione, & cap. 11. v. 7. in sexta tuba. Idem autem est, vt demonstrauimus multis argumentis, scopus apertionis sigillorum, qui & clangoris tubarum, & effusionis phialarum. Et cap. 3. v. 10. fit mentio horæ tentationis, quæ hora ventura est in orbem vniuersum ad explorandos incolas terræ, quod nulli rei melius potest conuenire, quàm malo spiritali exorienti ab ea vrbe quæ regnum habet super reges terræ, & sese effundenti in varias gentes, tribus, populos, linguas, nationes. Atqui dixit initiū libri, cap. scilicet primo, v. 1. & v. 3. scriptam esse hanc Apocalypsin de iis quæ oporteat fieri citò, & tempus prope esse. Idem dicit & concludit cap. vlt. v. 6. & 10. & 16. Ex his sanè cõsequitur, quum nihil toties repetatur hic, & tã prolixè tractetur, tandiūque dicatur, quàm de bestia, & magna meretrice, rebúsque ad eam attinentibus: præcipuam occasionem, causam, materiã, & argumentum libri Apocalypsis, esse indicationem Rom. Papatus, vt eum fugerent, exhorrerent & detestarentur omnes quotquot salutis suæ vlla cura vnquam tangit & seriò sollicitos habet.

Quòd dico totius Apocalypsis scopum hunc vnum esse, vt Romani Papatus abominationem totis Ecclesiis & singulis fidelibus depingens, inde omnes absterreat, & ab initio dixi secundam partem libri (quæ septemdecim capita continet, à capite scilicet quarto vsque ad 21. caput) consumi totam in variè describenda, & sæpius iteranda eiusdem abominandi Romani Papatus pictura: eò spectabat vt quantumuis cæcutientes vel conuiuentes, dissimulantes, oscitantes, & in stupore suo, quasi quodam veterno, delitescentes homines, corporis tamen tandem simul & mentis oculos aperirent & intenderent ad dignoscendum Romanum Papatum esse ipsissimam Antichristi sedem. Perinde ergo facit Ioannes toto hoc libro, ac si quis magister in schola puerulos ipsa literarum elementa docens, quia videt nonnullos eorum tardissimi esse ingenij, vt vix possint sæpiùs demonstratas in libello elementario literarum figuras discernere, & suis singulas nominibus agnoscere, distinguereque: sollicitus ipse laboriosè conquirat infinita propemodum adminicula vincendæ tarditatis discipulorum, & in omnes formas rem ipsam conuertat ac commutet, vt tandem edifcant, & certissimè compertum habeant totum alphabetum. Exempli gratia, modò in charta pura, A B C, & c. atramento delineabit, & quidem modò characteribus prægrandibus, postea medioeribus, nonnunquam etiam minutissimis, vt varietate hac excitet attentionem tenellarum mentium. Aliquando & eadem carbone notabit in pariete ipsis inuentibus: rursus & in nigra tabella depinget cretam in manus sumens: imò & ad focum sedens, ducet similia lineamenta in ipsis cineribus: aut ad litus, colludētibus inter se ipsis, ambulans, in arena eandem literarum formas imitabitur. Quid si etiam in mensa ex panis crustulis inter se compositis eadem indicet, aut in quadra stannea, lignea, alteriùsve materiæ depingat similia quædam, aut ex aquario aquam guttatim in pavementum fundens, ibi quoque literulas illas conformet? Tandem efficiam, inquiet ipsis, vt totum Abecedarium ad vnguè teneatis, nec quisquam vos hîc decipere queat, & in errorè abducere. Sic prorsus Ioannes in hac Apocalypsi dum toties rem eandem dicit, in multa visionum varietate, verborum & figuræ sermonis commutatione mirifica, constantissimè tamen semper.

Quod autem absurdum existimant nonnulli non nominari toto libro urbem Romam, mirum

rum est tam iniquè eos agere cum Domino Iesu scripti huius authore: cum Romani quoque scriptores vrbis nomen verum incognitum fuisse fateantur, imò nefas illud quoque ef-
fari. Sic enim Plinius, Roma ipsa: cuius nomen alterum dicere arcanis ceremoniarum nefas
habetur, optimaque & salutari fide abolitum enunciauit Valerius Soranus, luitque mox pœ-
nas. Non alienum videtur inferere hoc loco exēplum religionis antiquæ, ob hoc maximè
silentium institutæ. Namque diua Angerona, cui sacrificatur ad diem XII. Cal. Ianuarij,
ore obligato obliuatoque simulacrum habet. Hæc Plinius. Malo tamen dicere, occultum
illud nomen vrbis quod enunciare piaculum fuit, hic aperiri, nempe Babylon illa magna
mater scortationum & abominationum totius terræ. Sed Romanis iudicibus grauissimas
luit hodie pœnas, si vnquam antea, nec morte leuiore, quicumque sic Romam nominare
ausit. Idcirco Viues ad Augustinum lib. de ciuit. Dei 18. cap. 22. cum Augustinus scripisset
Romam conditam esse velut alteram Babylonem, & prioris Babylonis filiam, affert qui-
dem Hieronymum ad Marcellam scribentem, existimare non aliam describi à Ioanne in
Apocalypsi Babylonem, quàm vrbem Romam: sed addit, Nunc verò nomen tam odiosum
exiit: nam nihil est in eo confusum & promiscuum, discretis adeò & redactis omnibus in
certas leges, vt cum omnia propè illic vendantur & emantur, nihil tamen agas sine lege,
ac formula, atq; etiã sanctissimi iuris. Ironice quidē illa dicit Viues, quia metuebat ne sibi
fraudi esset, si rē apertè & simpliciter vt est, effaretur. Vide Hieronym. præterea ad Algasia.

CAP. XVIII.

Vide summam totius huius capi. in partitione libri ab initi oposita.

Verf. 4. *Exite ex ea, popule mi. &c. Reddite ei sicut & ipsa reddidit
vobis &c.* Accusamur schismatis, quod Papæ Romani autoritatem repudiamus.
Atque id nos iubet facere vox cœlestis. Quare Deo iudice semper absoluemur, quidquid
totus contra conclamet mundus. Quid dico? Imò ipsis etiam quibusdam Romanis Ponti-
ficibus assentientibus iustificabimur aduersus conuitiosas eiusmodi omnes obtestationes,
quibus propter Euāgelij professionem & discessionem à Romana synagoga immeritò tra-
ducimur. Platina enim in vita Nicolai secundi, Concilio, inquit, apud Lateranum habito,
legem tulit, vt in decretis legitur, Romanæ Ecclesiæ admodum salubrem, quæ talis est, Si-
quis pecunia vel gratiæ humanæ, aut populari, militariue tumultu sine concordii & Canoni-
ca electione Cardinalium, fuerit in throno Petri collocatus, is non Apostolicus: sed Apo-
staticus, id est à ratione deficiens meritò vocetur: liceatque Cardinalibus, clericis, & laicis
Deum colentibus, illum vt prædonem anathematizare, & quouis auxilio humano à sede A-
postolica propellere: atque quouis in loco, si in vrbe non liceat, catholicos huiusce rei gra-
tia congregare. Quid si verò Papa aliquis simul eligatur concordii electione Cardinalium,
& tamen pecunia quoque gratiæque humana? vt nullus procul dubio aliter hisce compluri-
bus seculis electus comperietur. Sanè non tantum Deo approbante, sed etiam Nicolao Pa-
pa secundo dictante, licebit veris fidelibus quouis in loco congregatis anathematizare o-
mnes Papas eiusmodi: ergo omnes in vniuersum Papas Romanos, quia omnes iam pridem
cœperunt esse eiusmodi. Quare sunt Apostatici omnes, non verò Apostolici.

Verf. 5. *Nam accumulata peccata eius, &c.* Contra cap. 14. verf. 13. de fidelibus mor-
tuis, & δὲ ἐργα ἀνθρώπων ἀνορθοῦ θεί μετ' ἀνθρώπων paulò diuersa loquendi forma.

Verf. 7. *Dicit in corde suo, Sedeo regina, nec sum vidua.*

Pulchrè conuenit in Romanum Papam, quod de rege Assyrio dicitur, Habacuc cap. 1.
Totum hamo suo attrahet, colliget in fagenam suam, & congregabit in rete suam: propte-
rea gaudebit & exultabit. Propterea sacrificabit fagenæ suæ, & suffitum offeret reti suo, quia
in illis pinguis portio eius, & cibuseius lautus. Quum enim sub annulo piscatoris edicta
sua scribere se profiteantur, & eo ipsa obsignet Romanus Pontifex, mirus procul dubio
est piscator, nec dissimilis tyrāno illi Assyrio. Nam quod Petri, vel Apostoli vel piscatoris,
videri vult successor, tam putidum est, & toties refutatum, vt etiamnum referre pigeat.

Verf. 11. 12. 13. *Merces auri & argenti &c. & animas hominum.* Vt nullum aliud esset
huius nefandæ negotiationis exemplum, sacerdotiorum dinundinatio sub beneplacito
semper Domini nostri Papæ, annon est animas venundantium lenonum inter se ludifica-
tio, vt inde quæstum faciant? Mirum verò est non pudere novos quosdam Domini Iesu
cōtubernales (si credere fas est) in tam clara luce Euāgelij, facere quandā apotheosin scele-
rum flagitiorumque omnium Romanæ sedis, quum Vrspengensis Abbas de tempore lo-
quens quod consequutum est mortem Henrici sexti, Imperatoris, sic scribat. Vix remansit
(inquit) aliquis Episcopatus, siue dignitas Ecclesiastica, vel etiam Parochialis Ecclesia, quæ
non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude mater
nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum, vt ad te confluant riuus, & agge-
res nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum quoniam in

recompensationem tantorum malorū datur tibi pretiū. Iocundare super adiutrice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod semper sitisti, decanta canticum, quia per malitiā hominum, non per tuam religionem, orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipsorum deuotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio, pretio comparata. Hæc Abbas Vrspergensis. Sed reuera mirum non est, illos de quibus dixi, sic seruiliter adulari Romano Antichristo. Sunt enim Domini Iesu cōtubernales, qualem fuisse exitu ipso Iudam Iscarioten, tradūt sancti Euangelistæ. Aduersus eos verò maximè valet illud Pauli, Si quis non amat D. Iesum sit anathema Maranatha. Peruersissimos hominū cum dico istos, de ipsa secta loquor, non de singulis qui in illa sunt hæresi. Nā vt quosdā malitiosè errare certissimū est, qui & decipi se à Satana sentiant, & cōsultò alios decipiāt: sic quosdam ignorantes peccare non dubito, ab ipsis sectæ corypheis astutissimè deceptos. Denique fortasse latent vel nonnulli, vel non pauci illic Dei electi, quos ab illo barathro eximet aliquando Deus. Vtinam, vtinam, & citò.

Verf. 14. *Et fructus desiderij anime tue abierunt à te &c.*

Cum Apocalypsis hoc cap. v. 3. *Ἰὼν δὲ ὕναμιν τῆ σπύνης* opes deliciarum Babylonis illius magnæ (id est Romani Papatus) nominat: cum item v. 9. Reges terræ cum ea *σπυρίδας* luxuriosos esse, & in delitiis vixisse dicit: cum deinde v. 12. aurum eius & argentum, & lapidē pretiosum, margaritas, byssum, purpuram, sericum, & coccum, & omne lignum thyinum, & omne vas eburneū, & omne vas ex ligno pretiosissimo, & ære, & ferro, & marmore, & cinamomum, & suffitus, & vnguentum, & thus, & vinum & oleum, & simillam, & triticum, & iumenta, & oves, & equos & rhedas, & mancipia, & animas hominum: cum quædam eadem repetit. v. 16. cum vocem citharædorum & musicorū, & tibia ac tuba canentium, v. 22. Cum omnia pingua & præclara hoc versu 14. hæc sunt illa, quæ Babylonem ipsam alloquens nominat, *Ἰὼν ὁ πῶραν Ἰησὺ ἐπιθυμίας τῆς ψυχῆς σου*, poma & fructus desiderij anime tuæ, generali scilicet appellatione infinitam illam deliciarum impuræ meretricis colluuiem, & totum immundissimum eius mundum comprehendens. Ita scilicet Romanus Papa, Romane item Ecclesiæ sanctissimi Cardinales seiplos exaturantes his pomis *Ἰησὺ ἐπιθυμίας*, desiderij anime suæ, perpulchrè meminerunt Romani, & strenuè præstant quod ad Romanos scribens inquiebat Paulus, *τὸ σαρκὸς πόρον ἵνα μὴ ποιεῖτε εἰς ἐπιθυμίας*, Carnis curam ne habete in desiderijs, & ad explendas cupiditates. Porrò ne aliunde quàm ex conclauis, & sacro concilio Papæ, ac Cardinalium depromatur aliqua luxus istius immensi & mollissimarum deliciarum declaratio audire quiuis poterit Romanum Cardinalem doctissimo carmine aliquid earum decantantem & delibantem. Adrianus enim Cardinalis breuibus duobus poematibus laudans Pontificem Curiāque Romanam maximè seridò, ea tamen dicit quibus patet illic esse Antichristum. Sic scil. voluit Deus ex ore satellitum Romani Sardapali ea audiri, quæ testētur in eo reperiri quæcunque in hac Apocalypsi de meretrice spirituali impudentissima prædixerat, & delinearat Dei spiritus. Prius poema est venatio Ascanij Cardinalis, vbi cum Diana venatum eunt em depingit magnificentissimo & planè regali apparatu: à venatione in rure amœnissimo, elegantissima omni supellectile (post dicatas Pontifici quas cœperat feras omnes) opipara mensa (vt nihil par cogitari queat) sumptuosissimè conuiuantem. Alterum poema est iter illius Iulij secundi Pontificis Roma Bononiam euntis, & illic ab omnibus adorati. Ex posteriore citavi antea in hac Methodo versus aliquot, vbi Iulium secundum dicit Cardinalis *Numen Iuli*, & *Noua numina* numero plurali, dicit adorari. Sed prius illud (Venationem scilicet Ascanij Cardinalis) integrum huic libello attexere operæ pretium visum est, quia inutile, nec iniucundum pijs lectoribus fore existimaui.

24. *Et omnium qui mactati sunt in terra.* Ipsi Ierusalē dicebat Dominus Matt. 23. v. 34. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, &c. & ex ipsis trucidabitis, &c. & vt veniat super vos omnis sanguis iustus effusus super terram à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, &c. Roma autem ipsius etiam Ierusalem eueriæ & gentis Iudæorum dissipatæ rationem reddet. Meritò ergo dicitur in ea inuentus sanguis omnium qui mactati sunt in terra.

C A P. XIX.

Vide capitis 19. argumentum pag. 20.

15. *Et ex ore eius prodibat gladius acutus.* & Verf. 16. *Habebatq; in femore suo nomen scriptum, Rex regum &c.* Simile est cum elegantia, tum immutatione, illud Plal. 45. versu. 3. diffusa est gratia in labijs tuis, & vers. 4. Accinge te gladio tuo super femur tuum.

19. *Deinde vidi bestiam illam.* Hi tres versus comprehendunt summatim, quæ sapius antea pluribus verbis dicta fuere: nisi σωρημένα sumas in significatione plusquamperfecti qui congregati fuerant: vt sequenti versu vertit Beza ὁπποῖός τις qui ediderat.

20. *Vini coniecti sunt hi duo.* Atqui cap. 17. vers. 16. dicebat futurum vt eam comburerent decem reges, qui per decem cornua significabantur. Respondeo, no de bestia illic loquebatur, sed de ipsa meretrice. Adde quod de exitio meretricis externo magis, quàm de æterno ibi loqui videbatur, quæ hîc per Pseudopropheta intelligitur & designatur.

CAPVT XX.

Argumentum capituli vigesimi habes prolixè in partitione libri ab initio posita.

4. *Et vidis fedes.* Huius versus sententia est, Etsi cum solutus erit Satan ad exiguum tēpus, s̄uiēt eius ministri in Ecclesiam Dei, & piorū mlti interficiētur propter testimonium Iesu: regnabunt tamen cum Christo mille annis, id est in æternum. Aliter enim mille anni sumuntur, vbi agitur de Christo regnante v. 4, aliter 6. vbi Satan dicitur vinciri ad annos mille vers. 3. & 7. Malim autem vertere, Et vidi, quàm Deinde vidi. Nam significat, vt puto, Ioannes se vno eodēque tempore ista vidisse, licet diuersa, coniunctissima tamen in consilio Dei. Quod verò v. 5. dicitur fore vt nō reuiuiscāt reliqui ex mortuis, donec expleti fuerint mille anni, interpretor, nunquam beatam vitam in Christi gloria victuros (quum enim mille anni Christi sint seculorum æternitas, eius profectò nunquam finis reperietur) vel nunquam regenerationis filiorum Dei fore participes, quæ est beatæ vitæ ianua, & in cœlū aditus: nunquam per fidem & Spiritum Dei innouandos. Exponit autem seipsum Ioannes addens, Hæc est resurrectio prima: significat enim se non loqui de resurrectione carnis siue futura vltimo die, sed de resurrectione spirituali, quæ fit in hoc mundo per fidem Euāgelij: de qua Ioannis in Euang. cap. 5. v. 25. quū de resurrectione vltima v. 28. & 29. agatur. Potest tamen totus hic locus aliter etiam exponi, & melius fortasse fluet sententia, si illa vers. 4. *ἔζησαν ἔβασίλευσαν* cōiungamus cum præcedētibus nempe *ἠπροσεκλήθησαν καὶ ἔλαβον*, & c. vt dicantur fideles ab initio mundi ad finem vsque seculi omnes vixisse, & regnasse cum Christo mille annis: quia etsi moriuntur alij post alios, semper tamen aliqui sunt in mundo fideles, & semper renouatur Ecclesia. Ita mille anni v. 4. erit tota seculorum series in hoc mundo, quibus extat semper aliqua Ecclesia Christi. *ἔζησαν* autem & *ἔβασίλευσαν* vertenda erunt in præterito, nec commutanda in futurum. Et vers. 5. *καὶ ἀνέζησαν* erit vertēdum, vt est, in præterito. Significatur enim, cum ex communi Scripturæ vsu omnes filij Adæ sint mortui, reliquos (exceptis scilicet iis qui sunt Christi) non reuixisse donec expleti fuerint mille anni, id est toto seculorum huius mundi cursu non esse conuersos ad pœnitentiam. Donec, autem hîc (vt sæpe aliàs) excludit tēpus præteritum, nec tamen affirmat rem de futuro. Præcipua difficultatis huius loci explicandæ ratio in eo est posita (vt dixi) ne eodem modo sumamus Mille annos regnantis Christi, & mille annos vinceti Satanz. Adde quod hac secunda expositione (quæ fanè mihi videtur genuina) mille anni aliter sumūtur quàm ver. 6. ver. 4. nempe pro vita fidelium in cœlis. Et optimè conueniunt ista hoc sensu: Quemadmodum vixerunt & regnarunt cum Christo mille annis, id est toto huius seculi cursu fideles, qui primæ resurrectionis scil. sunt omnes participes: ita post primam mortem (corporis scil. & naturalem id est externam) regnabunt (in eos enim mors secunda non habet potestatem) cum Christo mille annis, id est toto futuro seculo. Ita non sine causâ quum dixisset v. 4. *ἔβασίλευσαν* & *ἔζησαν* (quæ præteritum tempus referunt) dicit v. 6. per verba futuri temporis *ἕσονται ἱερεῖς ἔβασίλευσιν*. Item quum dixisset v. 4. *ἑπτὰ χίλια ἔτη* dicit v. 6. *χίλια ἔτη*, quasi illud prius cum articulo significet tempora quæ finem sunt habitura: hoc posterius temporum immensitatem & seculorum infinitatem. Quod si quis obiiciat de Satana etiam dici *χίλια ἔτη* v. 2. & *τὰ χίλια ἔτη* v. 3. & 7. iam dixi longè aliud esse, quia mille anni hîc, vbi (inquam) de Satana est sermo, eo sensu sumendi sunt vt Satanz persona, regnum, & Dei ipsum coercentis maiestas, vel patiuntur, & ferunt, vel exigunt. Quod verò v. 5. nomen Mortuorum, spiritualiter sumitur, non autem de morte corporis, non debet videri nouum vel ænigmaticū: quum Christus etiam in communi sermone, eadem sententia mortuos dixerit modò hac modò illa acceptione: & tamen intellectum fuisse quod dicebat, indubium est, Matt. cap. 8. v. 22. Sine vt inortui sepeliant mortuos suos. De mille annis vide August. lib. de Ciuitate Dei 20. cap. 7.

8. *Gog, & Magog.* Vertendum ipsum Gog, & ipsum Magog, ne videatur dici, in quatuor angulis terræ Gog & Magog. Oecolampadius Ezechiel. cap. 38. vers. 2. hunc locū citans, vertit, illum Gog, & illum Magog, fortasse autem cum dixisset Apocalypsis gentes quæ sunt in quatuor angulis terræ appositiuè addit, illum Gog & illum Magog. Ita significaret gentes varias & propemodū innumeras quæ sint in exercitu ipsius Gog & Magog, id est Turcarū Imperatoris, vt postea dicetur à nobis, & attigimus in partitione totius libri. Et potest tamen simplicius sumi hic locus, vt primū in genere designet gentes omnes, etiam quæ nihil commune habent cum Gog & Magog: deinde nominatim exprimat Gog & Magog cum suis omnibus quos sub illis nominibus (nempe ipsius Gog & Magog) comprehendit & sic exposui in partitione libri. Non dubito autem (vt iam dixi) designari Turcam,

& Mahometis insaniam. Ceterum finis huius versus & vers. 9. id ipsum dicunt, quod totum cap. 38. & 39. Ezechielis prolixè scribunt. Quòd verò de Turcis hæc pauca dicit liber Apocalypsis ratio reddi potest: quòd hæc reuelatio eò spectarit præcipuè, vt aduersus Romanum Papatum caput ἀποκαταστάσεως cōfirmarentur Ecclesiæ, quia futurus erat ille Antichristus tectus nomine Christi, & sanctæ Ecclesiæ. At minus necessarium erat moneri Ecclesias de tyrānide Turcæ: nam quum tollat de medio nomen etiam Christianismi & religionis titulum, apertissimè vident omnes nō esse assentiendum talis tyranni cōmentis, & blasphemæ palām absurdissimæq; superstitioni. Papatus ergo Romani imposturæ specioso sanctæ religionis nomine tectæ, ne nobis imponerēt, præmoneri nos disertissimè, & varia sermonis figura, operæ pretiū fuit. sic enim fideles vel moniti sibi præcauent, vel aliquando decepti resipiscunt: filij huius mundi magis redduntur inexcusabiles.

10. *Et diabolus qui seducebat eos.* Gētes scilicet quæ sunt in quatuor angulis terræ, ipsum & Gog, & Magog, vt est versu. 8.

P A R S T E R T I A A P O C A L Y P S I S,

Caput 21. & 22.

Horum capitum summam habes pag. 24.

C A P. XXI.

Vers. 1. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam.* &c) Ex more satis vsitato ipsi Scripturæ (cuius exemplū est Exod. 33. vers. 7. 8. 9. 10. 11. primis duobus versib. perstringit breuissimè, quæ per partes sigillatim describit optimo ordine, vers. 9. 10. 11. 12. & sequentibus vsque ad finem capituli. deinde cap. 22. versu. 1. 2. 3. 4. 5. Hic autem versu. 3. 4. 5. 6. 7. 8. postponi possunt versui quinto cap. 22. Tamen melius fortasse quadrabit, si à versu tertio hic dicamus incipere plenam, & prolixam descriptionem eorum, quæ versus, & primus, & secundus magno compendio complectebantur. Ergo vers. 3. 4. 5. 6. 7. 8. vox è cælo prodiens admonet Ioannem, quid postmodum, vel potius eo ipso momento visurus sit. deinde vers. 9. 10. 11. 12. & sequentibus vsque ad versum 6. capituli 22. describit à quo (nempe ab vno Angelo ex illis septem qui phialas effuderant) & quo ordine ostensa sibi fuerint facta ea, quæ fieri vox illa cælestis pronuntiarat præcedentibus versibus.

Vers. 2. *Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam &c.* Mira est hic Romani Papatus inscitia simul & audacia, Nam hinc vsque ad mediū versus quinti sanctissima Apocalypsis verba hæc legunt pro Epistola (vt vocant) in Missa in Dedicatione Ecclesiæ, id est parietum & fornicum templi alicuius lapidei: quia scilicet has voculas reperiunt Ierusalem nouam: & Ecce noua facio omnia. At miserrimè cæci hypocritæ non attēdunt, hanc ipsam Ierusalem nouam esse, de qua dicitur paulò post, nempe versu. 22. Et templum non vidi in ea. Quàm putidè ergo & mendaciter hæc transferunt ad Dedicationis suarum Ecclesiarum (id est templorum) festos dies anniuersarios? Sic enim habet in Missa illius diei alicuius, oratio quæ dicitur illis Secreta, *Annue festiui tatis cultu supplices Domine deprecamur: vt quicumque intra templi huius, cuius natalis est hodie, ambitum cōtinemur plena tibi atque perfecta corporis & anima deuotione placeamus: vt dum hæc presentia vota reddimus, ad aterna premia peruenire mereamur. P. D.*

Nec valde dissimile est, quod huius capituli 21. versu. 4. 5. 6. 7. canunt pro Epistola (quam vocant) in Missa diei natalis plurimorum Martyrum, vt confirmet suam idololatriam, & profanationem inuocationis Dei, & negent præfractè, Dominum Iesum, vnicum esse Aduocatum, quū nihil tale hic legatur. Ipsi (inquam) Deo inuito, & repugnantibus his sacrosanctis verbis, in Postcommunione illius diei, Præsta (inquiunt) nobis, quæsumus Domine, intercedentibus sanctis Martyribus tuis N. E. N. vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus, Per Dominum.

Vers. 14. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Hinc pulchrè oppugnat Petrus Martyr defensores Romani Papatus qui volunt super Petrum (ideòque super Romanum Pontificem, quippe Petri vt aiunt, successorem) fundatam esse Ecclesiam. Hic enim duodecim ponuntur, neque vnus Petri nomen, sed duodecim Apostolorum nomina eis inscribuntur. Dicuntur verò duodecim Apostoli esse fundamenta Ecclesiæ, quia eorum ministerio innotuit omnibus Gentibus Christus Ecclesiæ vnicum fundamentum. Et potest tamen dici Agnum ipsum esse hic duodecim fundamenta muri vrbs, Agnū (inquam) solum: sed in his duodecim fundamentis esse nomina duodecim Apostolorum Agni. Neque enim hic dicitur apertè, duodecim illa fundamenta esse Apostolos duodecim.

15. *Vt metiretur urbem.* Aliud est vbi cap. 11. Ioannes ipse iubebatur metiri templum Dei, & Altare. Ibi enim de Ecclesia in terris adhuc agente loquebatur, quam tamen vocat

versu. 2.

v.2. Urbem sanctam: sed dicit calcari à Gentibus, id est ab incredulis. Hic verò Angelus ipse metitur urbem, Ecclesiam scilicet Dei, qualis erit ubi collecta fuerit tota in regnū Dei.

Verf. 19. & 20. *Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspis, & c. decimum chrysoprasus, & c.* Superstitiosi sunt interpretes, atque ad eò ridiculi etiam qui in duodecim his fundamentis gemmeis exponendis laborant, & ad allegorias declinant, voluntque lapidem hunc decimum chrysoprasum, esse sanctorum communionem, quia decimus hic sit articulus in confessione fidei, siue symbolo Apostolorum. Omnium verò maximè ridiculus improbissimus ille ardelio Eckius, qui Centurias sex de prædestinatione scribens, nominat eas Chrysoprasum (sic enim ineptè ille pro Chrysoprasum) sumpta ex hoc loco occasione, quia (vt inquit) sanctorum communitio, quæ varia est, nullibi perfectior reperitur, quàm in prædestinationis gloria: sed planè intolerandum est quod gloriatur se annos tantum natum viginti sex librum illum scripsisse, & dum Ioannis Scoti placita interpretans, incidisset in prædestinationis quæstionem, ex continenti sibi visam fuisse non indignam in qua iuueniles calores exerceret. Ita verò manifestissimè patet Eckiū in maximè tremèdis fidei nostræ mysteriis ludibundum versarij, & gloriosulum valitare. Nec mirum: erat enim ex eorum numero, de quibus Iudas in epistola, Nubes aqua carentes, ventis circumactæ, arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis emortuæ, eradicatæ & c. Denique homines *ψυχῆς ἀνεῖμα μὴ ἔχοντες* animales spiritū nō habentes. sed Eckiū relinquamus. Neque verò aliud dicere voluit Ioannes duodecim istis fundamentis gemmeis, quàm quod breuiori sermone, neque duodenario numero expresso, dicitur apud Isaiam cap. 54. verf. 11. Ecce ego struam super carbunculum lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam è margaritis fenestras tuas, & portas ex lapide rutilante, & omnes fines tuos ex lapide pretioso.

22. *Nec templum Dei vidi in ea.* Cap. tamen 7. verf. 15. seruiunt ei die & nocte in templo eius. Et cap. 11. verf. 19. apertum est templum Dei in cælo. Intellige Ecclesiam Dei nō egere templo in cælis, vt eget in hoc mundo.

Hinc verò apparet in omni scripturæ interpretatione semper mentem loquentis esse intuendam, id est consilium spiritus sancti de singulis doctrinæ capitibus, aut (quod idem est & sic suis verbis Paul. ad Rom. cap. 12. eloquitur) prophetiā secundū fidei analogiā debere fieri. Præpostera est enim omnis ea Scripturarū interpretatio & doctrinæ explicatio, quæ non quadrat cum ipsis fidei apicibus, id est præcipuis omnibus religionis Christianæ fundamentis. Alioqui siquidē fit iniuria & Deo, cuius gloria imminuitur, & hominibus, quorum salus sic interturbatur. Templum non est in cælo, & Templum est in cælo: vtraque propositio vera est, quia reperitur vtraque in hoc Apocalypseo libro. Et tamē vera hæc duo simul esse non possunt, si τὸ πᾶν sumas, ἀνοίξαι relinquant. Quare nec quemquam illa turbare debent quasi *ἀσὺς αἰθερῶν*, Christi corpus esse in cælo non in terris (quod dicunt Angeli Act. cap. 16. & Petrus cap. 3.) & Christi corpus à fidelibus manducari in hac vita, eiusque manducationis obfignationem esse luculentam in sacrosancta Cæna, & reuera nobis ipsum & quotidie, & in ipso Ecclesiæ conuentu carnem suam dare edendam, eo sensu quo ipse intellexit dum diceret illa, Hoc est corpus meum, & quo dici ab eo ipsi quoque tum intellexerunt Apostoli: nempe fide, spiritualiter carnem suam, quam dabat pro mundi vita, panem vitæ fuisse semper ab ipsis primis Ecclesiæ initiis, nunc verò multò magis esse forèque ad Ecclesiæ totius vsque vltimam & perfectissimā collectionem perpetuò panem viuificum credentibus, suis scilicet omnibus

Verf. 25. *Quia nox non erit illic.* Sumptum quidem est istud ex Isaiæ cap. 60. sed cum pulcherrima quadam immutatione, & ea quidem necessaria. Dicebat Isaias alloquens Ecclesiam fecunditate mirifica colligendam & propagandam ex diuersissimis omnibus totius terrarum orbis gentibus. Aperientur portæ tuę iugiter, die & nocte non claudentur vt aduehantur tibi opes gentium, & c. Apocalypsis autem de Ecclesia loquens omnibus suis numeris & partibus consummatissima. Nec portæ eius claudentur interdium, inquit: nox. n. non erit illic amplius. Diuersitatis rationem iam reddidit, v. 23. & dicit postea cap. 22. v. 5. Vrbs ista non eget Sole vel Luna, vt in ea luceant: nam gloria Dei illustrauit eam, & lucerna eius est Agnus ipse: neque opus est eis lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illustrat eos. Ideò noctes modo hoc, modo illud alterum terræ hemisphærium obumbrant, & contegunt, quia corpus Solis non potest totam simul sphæram terræ collustrare. At Christus clarissimus ipse & perfectissimus sol Ecclesiæ, nulla re impeditur, quominus quos vult, & quando vult, viuificet & illuminet semper ad salutem: sed tunc omnium maximè eam totam apud se collectam indefinenter & magnificentissimè illustrabit, lucis illius suæ admirabilis infinitate. Dum stat hic mundus, manetque hæc rerum facies, vtilissimæ sunt dierum & noctium vices, quia labore diurno nocturna quies iu-

cundam relaxationem inducit. At capiti suo Christo post vltimum diem coniunctissima semper Ecclesia, successione illa diei & noctis non egebit. Quid enim opus nocte ibi, vbi sine inertia iucundissimum perpetuò otium & beatissima quies? Quis, inquam, vsus noctis in vita illa æterna futura, vbi sanctissima omnis, & iugis exercitatio (vt ita dicam) sine molestia, laboreue vllò? Quorsum nox, vbi nullus quidem somnus vel est, vel expetitur, sed perennis tamen vigilia, vt lætissima est, sic infatigabilis quoque.

CAP. XXII.

Verf. 4. *Et nomen eius in frontibus eorum.* Opponi videtur iis, qui in frontibus suis habent characterem bestię. cap. 13. verf. 16. & cap. 14. verf. 9. & cap. 20. verf. 4.

Verf. 10. *Et dicit mihi, Ne signaueris verba Prophetię libri huius: tempus enim propè est.* Contrà obsignari iubebat, & scribi vetabat sermones septem tonitruum capite. 10. versu. 4. propter rationem, quam ibi notauit. Quorum vsus est presens, ea non oportet obsignari: sed ea, quæ nunc nolumus patere, obsignamus, resignaturi postea tempore opportuno, & quando nobis faciendum videbitur.

Psal. 115.

Non nobis, non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam.

Christiano & beneuolo Lectori S.



uia capite Apocalyp. 18. verf. 14. diximus deliciarum magnæ illius Babylonis egregiam descriptionem extare in poemate Adriani Cardinalis doctissimo, quod inscribitur venatio, ipsumque poemata, quia breue est, methodo Apocalypseos annexuros, nos polliciti sumus, en fidem liberamus, & promissa præstamus. Ergo lege, & hinc intueri lector seueritatem, frugalitatem, temperantiam, & mirificam pro Ecclesiæ incolumitate sollicitudinem Cardinalium, in vno hoc (tanquam illustri speculo) Ascanio Cardinali S. Viti, Vicecancellario. Neque verò obiiciat quisquam fictam esse totam narrationem hanc, & poeticam descriptionem. Primùm enim respondeo, decorum hinc saltem aliquod seruatum esse à poëta, nequid alienum à moribus Romanæ Curie affingeret huic sanctissimo Cardinali: nequid [inquam] ex rigidioris philosophiæ institutis, aut primæui, vereque Apostolici Christianismi sinceriore disciplina ei tribueret. Deinde vix credo mentiri voluisse hunc scriptorem, quanuis poëtam, cum Cardinalis & ipse esset Ecclesiæ Romanæ. Suspicio itaque rem verè gestam narrari, maximeque verisimili coniectura eò deducor, ac minimè omnium incredibili. Hic est enim ille, vt puto, Ascanius filius Hieronymi Riariæ & Catharinæ Insubrum ducis filiæ ex concubina: in quo nouum non est tantas lautitias, luxumque describi, quem nepotes etiam perditissimi horreant. Nam & patruus eius Petrus Riaria mediocri familia Sauonæ ortus, & à Xysto quarto [à quo Franciscano adhuc monacho fuerat à teneris annis in ordine Francisci educatus] Episcopus Taruisinus dictus, deinde presbyter etiam Cardinalis creatus, amplissimis sacerdotiorum redditibus auctus, ita splendidus erat, vt pecuniæ perdendæ natus esse videtur. Eo quippe biennio, quo tantum postea superuixit, ducenta aureorum millia in victu absumpsit: sexaginta verò millia æris alieni, argenti autem cælati trecenta pondo reliquit, & obiit voluptatibus confectus annorum viginti octo. Petrum ergo illum Riariam perpulchrè imitatus est, nisi fortè etiam superauit prodigendæ pecuniæ insana omni libidine Ascanius hic fratris filius. Cærerùm præter pauca illa quæ in margine annotauit, hinc meritò exclamare licet illud Poëtæ.

O prodiga rerum

Luxuries, nunquam paruo contenta paratu,

Et questorum terra, pelagòque ciborum

Ambitiosa fames, ò lauta gloria mensæ.

Discite quàm paruo liceat producere vitam,

Et quantum natura petat: non erigit agros

Nobilis ignoro diffusus Consule Bacchus.

Non auro, gemmisque bibunt, sed gutture puro

Vita redit. Ita scilicet noui poëtæ & quidem Cardinalis Adriani stultitiam lepidè ridet, & castigat vetus poëta, & quidem Cardinalis Adriani stultitiam lepidè ridet, & castigat vetus poëta Ethnicus atque adeo Hispanus, laudantis in Ascanio Cardinali laudanda minime, sed vituperanda prorsus. Illud tum non omnino ἀποσδιόνησεν, quòd peractò cōiuiuo inducitur ab Adriano Diana illa Ascanij, præsentem rerū Romanarū, id est Christianismi Papalis, statum reprehendens.

ADRI-

EIA surgite, nunquid excitavit
Dudū raucifono Diana cornu?
Actutū properate, iam parata est,
Et secum Ascanius suus paratur.
Venatoribus hac die est eundum,

Qua Salaria prospicit lacunas
Claras sulphure Tyburis superbi.

His dictis iuuenum ruunt manipuli
De conclauius omnibus frequentes.
Hic venabula, cuspides ahenas,
Æratas, validasq; feru bipennes.
Ille hastilia, ferreas secures,
Cruda spicula Martis uniuersi.
Deducunt alij canum phalanges,
Latrantes abeunt simul Molossi.
Mox indaginis unica sagaces
Tollunt retia rara Muliones.
Procedit Dea prosequente magna
Cauerua, chlamidem recincta pictam,
Ventilantibus aureis capillis.
Suras purpurei tegunt cothurni,
Aurata ex humero sonat pharetra.
Iungit Ascanius suas cohortes
Solertissimus vnus inter omnes.
Sublimes Lybicis equis vehuntur.

Aurora interea thorum relinquens
Quadrigris roseis diem vehebat.

Ventum est ad iuga, densosq; saltus,
Conuallis quibus obsidetur ingens.
Præterlabitur hanc secatq; riuus
Rauco murmure, leuibus salebris
Limo sordidus, hinc & inde ripas
Multa tectus arundine & palustri
Iunco, nec procul albicat salictum
Dextera, qua vi det Herculis popellum,
Clui sylua latus tenet sinistri.
Floret perpetuo, virêque iuxta
Vasta planicies feracis agri.

Vt signum dedit Ascanius repente
Sortiti iuuenes vicem laborum,
Seruat quisque sui locum negoti,
Hi vallant aditus, nemoq; cogunt.
Hi per inuia lustra musbitantes
Vestigare feras docent catellos.
Extendunt alij plagas dolosas,
Disponunt alij feros molossos,
Hic sub ilice, & ille sub vetusta
Quercu sternitur: hunc regit supinum
Grauis iuniperi virentis umbra,
Densa sub platano, & comis opaca,
Qua de colle leui tumore surgit.
Diua & Ascanius simul recumbunt.
Omnes solliciti videre, quenam
Ex tanto veniat labore præda.

Ecce protinus horridus, feroxq;
Aper, spumens ore, dente frendens,
Voluens trux oculos modo huc, modo illuc,

G.j.

Sic prorsus Papa & Car-
dinales seruiunt Matrî
Ecclesiæ: non illi quidē
veræ & castæ Christi
sponsæ, sed hinc suæ su-
perbæ, lasciuæ, & mul-
to luxu diffuenti, deni-
que potētî venatrici in-
star Nembrod, qualis
describitur Ascanij Car-
dinalis Diana. Sed vt o-
lim iubebatur Ezechiel
obfirmare faciem con-
tra Pseudoprophetas
mulieres, quæ menda-
cijs suis venabantur a-
nimos populi, sic hodie
pijs omnibus doctori-
bus certandū est aduer-
sus venatricem hanc a-
nimarum Ecclesiā, ad
eas liberandas ab exitia
libus illius laqueis &
mendacibus doctrinis.

Sic Cardinales, magna
cura & vigilātia mittūt
hinc inde Euāgelij præ-
cones qui populum do-
ceant. Imò reuera sic a-
stutē Hispanicos inqui-
sitores collocant & dis-
ponunt, qui hominum
animas Christo eripiāt,
Satanz autem venētur.

Aper Dianæ sagitta trās
fixus procumbit.

Dorso horrentibus, hispidisq³ setis,
 Callosa cute, caute duriore,
 Excitus canibus per antra fertur
 Præceps, vulnificis utrinque rostris,
 Stipatus grege mordicus petentum,
 Aures, & latus omne lancinantum,
 Accurrit Dea, nec globus sinebat
 Quicquam præter apri videre rictum,
 Deprompsit pharetra illico sagittam,
 Linavitq³ genu potenter arcum,
 Et iacit, volat illa, qua videri
 Rictus vix poterat, secansq³ hiatus
 Per præcordia labitur. Quis unquam
 Vati crederet? ultimos recessus
 Cauda transiit, solumq³ fixit,
 Procumbit quadrupes humi volutus,
 Tendens ilia, calcibusq³ frustra
 Alternis vacuas laceffit auras.
 Flumen sanguinis undat ex baratro
 Vasti gutturis, hispidaq³ cauda.

Dum spectant stupidi, fereq³ magnos
 Artus, grandia & aspera extimescunt
 Ossa, & ingluuiem capacis alui,
 Umbrosi nemoris fugatus antro
 Cereus, cassibus expeditus ingens
 Celsis cornibus arduus ruebat.
 Septus pulvere a canum corona,
 Saltu transiit unico paludem,
 Ripaq³ ulteriore adhuc veretur
 Vertens arboream subinde frontem
 Dum certant properi canes natare
 Summis naribus, & reslant hiantes.
 Volans Ascanius leui veredo
 Precatus Triuiæ perenne numen
 Inuadit iaculo, diuq³ librans
 Iecit eminus, hæsit impeditum
 Ferrum cornibus, ac sola reflexa
 Nequicquam ante oculos pependit hasta
 Fremens Ascanius rapit, rotatq³
 Ensem fulmineum, absciditq³ ab armis
 Cum ceruice caput: micat per herbam
 Hic corpus, caput hic, rubet cruore
 Interfusa palus: ruunt repente
 Venantes querula procacitate,
 Strataq³ obstupere mole cerui
 Ridens Delia, Quid stupetis? inquit.
 Noster Ascanius minora nescit.

Clamor interea tumultuantium
 Circum retia vertit ora turba,
 Captam terribilem Histricem fremebant,
 Que rostrum, atque pedes plagis ligata
 Spinis missilibus canes, virosq³
 Arcebat prociul, & fugabat omnes.
 Venator sibi quisque consulebat.
 Multi sub clypeo arborum latebant,
 Multos obijce texerat crepido:
 Post carecta canes inane latrant.
 Densant spicula mutua, & vicissim
 Bellantum furit incruentus ardor.
 Nam spine nequeunt ferire tectos,

Cereus Ascanij Cardinalis iaculo inuaditur, quod eludens & excutiens obtruncatur ense eiusdem.

Histrix quæ in plagas inciderat, frustra eam ferientibus alijs omnibus, Sicambri Lipis manu caedit, emissa pila ignita ex machinæ æneæ cauo recessu.

Et

Et tecti nequeunt feram ferire,
 Tāta duritie cutis rigebat
 Crebris in silibus petita, nullis
 Interpuncta notis. Erat Sicamber
 Fortē in tam celebri sodalitate,
 Audax praelia tanta qui ciceret,
 Lips cognomine, machina repertor
 Miranda, horrida, minacis, atra:
 Qualem nec Steropes, nec ipse fertur
 Pater Lemnius, inferis caavernis
 Informasse Ioui, nec ulla in orbe
 Per tot secula cogitavit atas.
 Nam truncum teretem aneum, cauumq;
 Nitro, sulphure, pulvere & saligni
 Carbonis replet usque ad umbilicum,
 Includitq; pilam ex liquente plumbo.
 Supernē tenue oppidū foramen
 Spirat, hinc iacit igneam favillam
 Histrix continuo forata fumat.
 Non sic fulminis impetus trisulci,
 Nec Phalarica scrotata fertur,
 Sed nec sic Scythico sagitta nervo,
 Nec fundis balearibus lapillus.
 Mox tanto intonuit fragore caelum,
 Et tanto ingemuit tremore tellus,
 Ut quicquid caucis latebat usquam
 Ferarum omne genus, feri leones,
 Auriti lepores, lupi voraces,
 Et dama timidi, volatilesq;
 Cerui, & capreoli leues, fugacesq;
 Apri setigeri, dolisq; vulpes
 Insignes ruerent metu per agros.
 Vasta ut planicie nihil videres
 Usquam praeterea: latent sub illis
 Arbusta omnia, & omnis herba prostrata.
 Canes interea modo has, modo illas
 Passim cadere, nec locus cadenti est.
 Densō in agmine stant, geruntq; morsus
 Immota, superambulant molossi,
 Strage incredibili usque saevientes.
 Saevitum nimis est Diana clamat
 Quō tandem ruitis? redite in orbem
 Palantes, neque enim expedit ferarum
 Omne funditus interire nomen.
 Sat nostro Ascanio datum nec ultra
 Modestissimus omnium rogaret.
 Cornu personat aureo reducens.
 Triumphalia castra mox recensent
 Plenum sanguinis agmen interemptum
 Nec tot millia computare possunt.
 Implent esseda, conuehunt quadrigis,
 Pars gestant humeris solōve raptant
 Hi sub ponderibus gemunt iniquis,
 Feruet mulio, cobuloq; feruet.
 Rus est, non procul hinc penes sacellum
 Deserta Cereris loco remoto.
 Huc armenta, greges, canum labores
 Et vastas nemorum ferunt ruinas.
 Hanc cuncti properant tenere metam
 Hac tandem reduces simul quiescunt.

G. ij.

[Faint marginal notes in Latin, likely commentary or references.]

Ruri subditus hortulus virebat,
 Qualis Corycium senem bearet.
 Et qualem Hesperides velint sorores.
 Hic inter violas, thymum, ligustrum,
 Narcissos, hyacinthinosq; flores
 Fons scatens vitreis aquis susurrat.
 Hunc pomaria tam beata cingunt,
 Ver in perpetuum colant, & usque
 Arguis auribus canora vernent
 Regis Alcinoi fuisse credas,
 Patens area propter ima fontis
 Labra tenditur, hanc tegunt corymbis
 Pallentes hederæ, & rosas acanthi
 Flexo vimine textiles obumbrant,
 Lente lilia subligant genista.

Sub his floribus apparatus mensa est,
 Instratusq; thorax tapete picto
 Et semiramia manu figuris

*Tales scilicet erant olim
 filij Prophetarum (quos
 vocat Scriptura) id est di
 scipuli, tempore Eliaz &
 Elisæi.

*Sic Dominus fatigatus
 ex itinere sedit ad fontem
 oppidi Samariæ hora
 quasi sexta, sitiens & ex
 pectans, dum discipuli
 emptos ex vrbe cibos
 afferant. Sic Paulus
 post longam in mari ia
 ctationem, totus etiam
 ex naufragio madens,
 humaniter excipitur à
 Barbaris Melitenisibus,
 & iniectis in pyram ac
 censam sarmentis seipsum
 calefacit.

*Apoc. c. 18 v. 16. Ciui
 tas illa magna que ami
 cta erat bysso & purpu
 ra & cocco, & deaurata
 erat auro & lapidibus
 pretiosis & margaritis.

Notatu dignissimum,
 quod conuiuium exordi
 tur Cardinalis nulla con
 cepta ad Deum precatio
 ne.

Distincto varijs, super tapetum
 Albet mappula delicatioris
 Villi, Barbaricis notata punctis.

De mensis abacus nitens acernis
 Pandit vascula Mentoris vetusta
 Priscorumq; torumata aulicorum.

*Etate & facie pares ministri,
 Nympharum Truix chorum emulantes,
 Expectant thalamo beatiore

Diuam & Ascanium * labore fessos.
 Pars sacris adolet focus penates,
 Et iam Sol medium secabat axem

Flammis omnipotentibus coruscans.
 Tandem numine prodeunt secundo.
 Felici omine quicquid est ferarum

Magno Pontifici dicant Iulo
 Crines subtilibus rosis coronant
 Unguentis Megalensibus madentes

Custodit soleas puer relictas.
 Sponda se mediam locat Diana
 * Gemmis splendidulis decora virgo,

Post multo Ascanius coruscus ostro
 Flexo poplite cernuus minister
 Dat summis digitis aquas odoras

Mox mantilia Nympha subministrat.
 Apponunt alij nouas figuras
 Extructa Cereris Dryas catillum

Fragrantem ambrosia gerit Diana:
 Post hanc syderei ferunt ephebi
 Lances ordine. Phasiana prima est.

Stat Iunonis auis superba cauda
 Phœnicopterus eminente lingua,
 Et crista meleagrides rubenti,

Et pluma niuei patent olores.
 Hinc albi iecur anseris tumebat,
 Hinc capo Cybeli deæ dicatus.

Perdices strue maxima ferebant,
 Et pulpa melioris attagenes,
 At sturnos inopes, grues, palumbes,

Cunctas cortis anes cocis relinquunt.
 Subuectant alij salariorum
 Quicquid ars potuit nonare lauti.

At far-

At farcimina dant vetustiora
 Turget lactea suminis papilla
 Campano Petasone gloriantur,
 Vestino quoque caseo intumescunt,
 Non lucanica, non tomacta desunt,
 Fracto ventre suis solo ex Phalisco
 Non deest occigarum, offula minutala
 Liba adorea, candida q̄, pultes
 Conchis, glandia spondyli, botelli,
 Nec mustacea lixula Sabina,
 Cerebella auium, salax q̄, bulbus,
 Nec iecuscula iusculis odora.
 Nec desunt patina omniam nepotum,
 Exquiruntur, & omnibus popinis
 Pulmentaria vesca, qua palatum
 Irritare saporibus putantur:
 Vincunt fercula cogitationem,
 Nec stylus meus explicet, nec usquam
 Maiore in pretio fuit culina,
 Nusquam pradia sumptuosiora,
 Triumphalia erant minor a multo.
 Nemo Pontificum dapes reponat,
 Aut cœnis Saliaribus laboret.
 Ponunt mox alij maris rapinat,
 Mullos Adriaci salis colonos,
 Murenas Siculis aquis natantes,
 Latum amplissima fert patella Rhumbum,
 Baiana ostrea, murices lupos q̄,
 Auratas, Acipenseris, scaros q̄,
 Structoris manus erudita raptim
 Cultello dirimit, secatq̄, paruo.
 Dum cœnat, citharis comatulorum,
 Et cantu vario, nono q̄, plausu
 Valles undique concava resultant.
 Et iam prima epulas quies tenebat,
 Cum cellarius eligit ministros,
 Bacchi munera lata qui propinent.
 Hæc est amphora nectaris beati,
 Qua Latonia sola proluatur,
 Trullam hanc Ascanio dedere Galli
 Spumantem Bromio Parisiorum,
 Miscè his tusciatis Drias Falernum,
 Tu cape has pateras puer Caleni,
 Ingertu hos calices Optimiani,
 Vos Setina date his scyphis vetusta,
 At vos Cecuba fundite hoc triente,
 Momentum dedit hæc heri lagenam,
 At Surrentum hodie cadum hunc picatum,
 Cupa hac conditur Adrianus humor.
 Priuernatia congio hoc Sagunti,
 Chium hoc vrceolo sapit rotundo,
 Bio hæc feriola optime redundat.
 Plena hæc aurea defruto metreta est.
 Mulsam hæc crinea dulcius recondit.
 Tu non bellaria largiora ponunt
 Mensa delicias Deum secunda,
 Electissima poma porriguntur.
 Inter qua melimella principatum
 Malorum facile omnium obtinebant.
 Post petitia parua, mentiana,

Apocalyps. cap. 18. v. 7.
 Extulit sese, & luxuriata
 est, &c. In corde suo di-
 cit, Sedeo Regina, nec
 iuctum vibebo.

Non tanta vini varietate
 diffluebat nuptiale con-
 uuiuium, in Cana Galilææ,
 vbi præsens aderat Do-
 minus cum Maria matre
 & discipulis. Sed hæc nõ
 curat Ascanius Cardina-
 lis cum sua Diana, fyde-
 reisque ephebis, & co-
 matulis.

Tum Spadonia, Græcula, Appiana
 Lanata, orbiculata, Septiana
 Dant Pannucia serica, & gemella.
 Adhæc Crustumys pirus abundant
 Succiplena tument Falerna cista,
 Et longo pede, Dolobelliana.
 Pompeiana placent fauore magni,
 Et testacea de colore teste,
 Dant Voconia, laurea & volema
 Ampullacea prominente collo.
 Nardina, & Decumana grandiora.
 Hæc tum nomina repperit vetustas,
 Nunc seclum incipiens nouis ineptit.
 Adduntur cariotides mariscis,
 Et Cydonia coctanis recincta,
 Et tuber Lybicis madens pruinis,
 Nux amygdala, pinea, atque iuglans,
 Laxant castaneæ suos echinos,
 Picas quoque porrigunt oliuas.
 Ollares etiam dabantur vna.
 Ponunt frigore gratiora rapa.
 Plura his: & meliora, qua silenter
 Redundantibus ingerit canistris
 Miris munditijs secunda mensa.

Vt cœperat, sic finem
 facit, epulaudi Cardina-
 lis sine vlla gratiarû a-
 ctione ad Deum. Sic scil.
 Petrus & Paulus factita-
 bant, sic ipse Dominus
 Iesus, cuius vicarium se
 gloriatur Romanus Pa-
 pa cum suis Cardinalib.

Exempta procul esuritione,
 Et mensis procul omnibus remotis
 Sic est post epulum locuta virgo:
 Ascani Ducis optimi propago,
 Ingens purpurei decus Senatus,
 Vides ut iaceant in orbe cuncta,
 Que mortalibus esse iam solebant
 Vita presidium laboriosæ:
 Et quibus tenebris operta virtus
 Passim calcibus improbis teratur.
 Quid primum querar ordiar-ve primum?
 Cum superstitione Deos putaret,
 Id quod quemque suus monebat ardor,
 Mundus artibus optimis scatebat.
 Postquam de Solymis Deus perustis
 Vera religionis imperator
 Nostra numina vana dissipauit,
 Et totum pedibus subegit orbem,
 Apportans pereuntibus salutem.
 Ius, fas, veredicas tulitq; leges,
 Et mores docuit bonos suosq;
 Culpas sanguine omnium expiauit,
 Vt clausum ad superos iter pateret,
 Fit mutatio numinum repente.
 Certatim properant, volantq; cuncti
 Et cultus auidi novos adorant.
 Fassi vnum coluere: sed quod ille
 Ferre omnes voluit, tulere pauci.
 Nec omnes capiunt quod omnibus dat.
 Vt peruersa hominum malignaq; est mens,
 Versa in segnitiam fides, & omnis
 In quæstum pietas. Simul sequuta
 Miris illecebris placens voluptas.
 Nunquam delitiæ superiores,
 Nunquam auaritiæ altior Charibdis.
 Quando ita ambitio negotiata est?

Hic suis nominibus desi-
 gnantur Cardinales vir-
 tutes Curie Romanæ,
 quam longè latèque pa-
 tet eius synagoga.

Quando

Quando nequius, inquinatusve
Peccatum? Patet illas malorum
Grandis, fons scelerum scaturientum
Vel gentes penitissimas reuifit,
Quæ vestro sine numine insolescunt,
Bacchanturq; magis monente nullo,
Tu verò genus anclitum Senator, Scilicet vel hoc grauif-
Flamen ætheria Dialis aula, simo Senatore Alcanio,
Quo Respublica tota gloriatur, vel ipsa hodie Roma,
Cuius cardine sustinetur orbis, tanquam cardine sustine-
Ne mentis propria inquilinus erres, tur orbis.
Ab omni popularitate debes
Diuinos animi auocare motus.
Nec plebecula quid misella latret,
Sed quàm sit fragilis, caduca, fluxa
Et quàm lubrica vita cogitare
Causas discere, & æstimare rerum,
Quidnam gigneris, unde, quò feraris.
Spem longam reseces, vides in orbe
Nihil perpetuo tenore verti.
Si fortuna facit pecuniosum.
Nil remordeat esse liberalem.
Scis quantum deceat potentiores,
Vt comi domus hospitalitate
Ianuis bipotentibus fatiscat.
Laus non vltima, displicere nulli.
Prestare ingenium facillimumq;
Verbis parcere contumeliosis,
Sernorum meminisse, qui fideles
Aduersis fuerint, malisq; rebus
Novit Ascanius quid ipsa dicam
Nec casus memor abimus peractos.
Quis fratrem sine questibus reuellat
Ducem Insubria quem tenebat audax?
Quis siccis poterit nepotem ocellis
Regem Parthenopeium referre?
Ærummas tibi quis peculiare
Monendo renouet. Satis superq;
Deplorauimus ista dum ruebant.
Et nunc scis quibus erutus ruinis,
Et quis sis modò redditus memento.
Nec tam perdita, quàm reperta cures,
Perfer qualiacunque non pigebit
Tot pericula ferre, tot tulisse.
Posses pluribus admonere, & ultrà
Quæ pœnæ maneat malos docere,
Et quæ premia debeantur illis,
Qui non corporeo obliu sepulchro
Perstringunt animi igneum vigorem,
Nec terra infodiunt datum talentum.
Ne tibi ista domi elegantiora
Nascerentur, & vnicus Deorum
Vestris vatibus omnia explicasset.
Adhæc Ascanius refert, Diana
Sylvarum, & nemorum patrona virgo,
Seu Proserpina noctibus relucens,
Seu Lucina, Hecate, vel alma Iuno,
Dichyma, aut Triuia expetis vocari
Te quæcunque meum leuas laborem,
Semper pectore conditam tenebo.

ADRIA: CARD. VENATIO.

*Vesper interea exiens Olympo
 Nocturnis comitantibus tenebris,
 Mergensq; Oceano caput ruebat,
 Iamq; in faucibus atrij ministri
 Paana ad litui sonum canentes
 Expectant in equis heros ituros.*

*Lucum Delia fertur in propinquum
 Densa Oreades hinc, & hinc sequuntur,
 Stipant Ascanium sua cohortes,
 Ardentes animis redire in urbem.*

COROL-



COROLLARIUM TOTIVS METHODI APOCALYPTICVS: & PRIMVM,

Prefatio, siue proœmium corollarij ipsius.

Postquam totus clerus Romanus coronis pridem delectari cœpit siue etiam corollis, corollarium, ego quoque in eorum gratiam (totius, inquam, siue coronæ, siue cateruæ, siue turbæ clericorum Romanensium) hinc addere non grauabor. Oblectari dico eos & coronis, & corollis, quia coronas habent hi magnas, alij maiores, plerique autem maximas: corollas etiam quidam paruas, minores verò nonnulli, prorsus etiam minimas alij. Nec verò sine causa, aut gratis, & nulla mercede, ipsis placent omnibus suæ & coronæ, & corollæ: multis enim priuilegijs propter eas fruuntur, & insigni prærogatiua gaudent, quam doctissimus quidam nostra ætate vir, Rasi verticis prærogatiuam dixit (quia etiam testimonium de ea re scriptum, vulgò barbara quadam Latinitate, Literam Tonsuræ vocant) quemadmodum idem quoque maximæ eruditionis homo, Deum ipsum Missaticum, qui & in pyxide (quam ciborium dicunt) solet magnâ veneratione seruari, & custodiri, nonnunquam Deum contubernalem, alicubi etiam Sacrum crustulum: latinissimè prorsus vtrunque & plusquam Romanè. Ita enim significat & panem reuera esse, sed cui sacrosancti aliquid affingat hominum opinio: & ita pro Deo haberi, vt ab ipsis tamen pro arbitrio contrectetur, moueatur, huc & illuc deportetur, dentibus etiam ipsis comminuetur, & in œsophagum traiciatur, vt omni modo sit crassissimè per omnia eorum contubernalis Deus. Sed de vtrisque istis rebus audiuius Apocalypsis ipsissima verba. Nam & in quinta tuba cap. 9. vers. 7. super capita locustarum illarum dicebat esse tanquam coronas similes auro: & cap. 13. vers. 14. & 15. dicebat, Imaginè fieri ipsi bestię ab omnibus incolis terræ, & eam Imaginem vitalè effici, & sermone præditam, hominum scilicet opinione eam & adorantium, & adorari iubentium.

Corollarium, siue Corollarij verba ipsa.

Quandoquidem noui quidam artifices (qui reuera tamen noui nihil afferunt sed eadem omnia putidissimè, & prorsus miserrimè reponunt, quæ Echius, Cocleus, & similes scripserat, & quibus sexcenties responsum fuerat à Luthero, Zuinglio, O Ecolapadio & alijs) perbellè sibi fucare videntur meretricem illam magnam, (magna quoque mercede ab ipsa cõducti) magnis illis nominibus Tertulliani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & similiũ; audiant primùm quid inter veteres prope vetustissimus ipse dicat Apocalypsin hanc citans.

Tertullianus.

Sic & Babylõ etiam apud Ioannem nostrum (inquit) Romanæ vrbis figura est, proinde magnæ, & regno superbæ, & sanctorum Dei debellatricis.

Item, postquam totum locum citauit 2. Thessal. 2. ad vltima illa verba, Tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat: subiicit instantissima interrogatione, Quis? nisi Romanus status, cuius abscessio in decem Reges dispersa, Antichristum superducat, & tunc reuelabitur iniquus, quem Dominus interficiet, &c.

Item, de eadem Roma loquens: Sciunt inquit, homines illius vrbis, in qua dæmoniorum conuentus confedit.

Similia plurima ex alijs illis Patribus, & Ecclesiæ luminibus quibusdam (post Apostolos tamen, inquam) collegi: sed quorum capax non esset aliquot paginarum breue spatium. Sunt enim propemodum infinita: & prolixiorem tractatum prorsus desiderat tanta nubes testium omni exceptione maiorum aduersus Romanum Papatum.

Hoc ergò tantum in genere dicam (quod tamen omnia complectitur) quæ alibi fusissimè describentur à nobis, Deo dante. Si Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, alijque illi omnes reuiuiscerent hodie (aut saltem, si vnus aliquis eorum reuiuisceret) & oculis præsentem conspicerent, aut etiam auribus audirent suis absentes, Romanum Papam triplici corona insignem auro, & gemmis fulgentem, hominum humeris portari, ad pedum suorum oscula, & admittere, & allicere Regum legatos, atque adeò ipsos etiam potentissimos monarchas. Indulgentias venales proponere Romæ, & in varias Christiani nominis prouincias emittere, si eum Romæ, Bononiæ, & alijs in locis gladij ciuilibus potestatem exercere, si bella gerere, si iubere adorari panem in Missa, & replere templa omnia Romæ, & passim in omnibus Ecclesijs, infinita colluie simulachorũ,

& tamen dicere se successorem Petri legitimum: si inquam, reuiuiscant sancti illi viri, an non omnes vno ore conspuerent Papam Romanum? an non toto pectore eum exhorrent, librosque eorum omnes, qui se tantarum Romani Pontificis abominationum defensores constituunt? an non denique dicerent, Romanum Papatum reuera esse meretricem illam magnam de qua Apocalypsis hæc? Hunc nodum vbi nobis expedierint noui illi artifices, de cætero videbimus, an (quod maximè probare mundo volunt, sui ipsorum lucri causa duntaxat) concedere debeamus, Gregorium XIII. Romanum Papam hodiernum, esse caput Ecclesiæ in toto terrarum orbe, vel (quod tamen longè aliud est) esse antistitem aliquem sacrosanctæ Christianæ religionis, & verum Petri successorem.

Hoc (inquam) esto huius Methodi Apocalypseos Corollarium.

Subscriptio siue obsignatio Corollarij, Psal. 115.

Non nobis, non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua, & veritate tua: nequãdo dicãt Gentes, vbi est Deus eorum?

Deus autem noster in cælo: omnia quæcunque voluit fecit.

Simulachra Gentium, argentum & aurum: opera manuum hominum.

Os habent & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, &c.

Apocalypsis cap. 9. vers. 20.

Non resipuerunt ab operibus manuum suarum, vt ne adorarent demonia, & simulachra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare: 21. Neque resipuerunt ab homicidijs suis, neq; à veneficijs suis, à scortatione sua, neque à furtis suis.

O ROMA

(Vt vno verbo radicem omnium malorum, auaritiã complectar) quot alioqui non malè nata ingenia corrumpis? pessima tua educatione corrupta magis ac magis nequitia deprauas: ita deprauata perdis?

Errata sic corrigito.

Pag. 2. lin. 12. que etiam vt (pote) leg. (vt puto). pag. 3. lin. 31. Angeli prænuntiatu-ri erãt, prius quam. pa. 9. lin. 50. leg. Et tunc offen. Ibid. lin. 54. Et hæc quidem tantum &c. deme has tres lin. quia suum locum habent paulò post initium pag. 11. pa. 19. lin. 37. leg. Trina denuntiatio pa. 31. in contextu Apo. c. 9. v. 7. leg. paratis in prælium: & super capita earum tanquam coronæ similes auro, & facies. pa. 51. lin. 23. leg. animal in Indico, pag. 59. li. 43. pone inscriptionem CAP. XVII. deinde linea sequenti leg. v. i. tum venit. p. 60. li. 53. le. cum Rhodi. p. 64. li. 10. le. statuere, deliberare. p. 68. li. 45. le. non inutile. ibid. lin. 53. vide cap. 19. arg. p. 20. lege arg. in partitione totius lib. ab initio posita p. 63. seueros le. Teucros. p. 70. li. 17. habes in partitionis lib. sine ab initio posita. p. 72. l. 56. cuius initium & castigat &c. deme seq. in eadem lin.



Hinweise

Signatur 1 B 2962		Stok 72
RS	Bub	AK
	Titelaufn.	AKB

FK
Hauptwerk: 1 Exeg. Schriften De
Ansch. 1-3: Je 1 Exeg. Schriften De 5.7.

Bio K

Bild K

SWK

Sonderstandort

Signum

Ausleihe-
vermerk

III/9/280 Jd G 80/77

1 B 2962

